

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Rudolphi Goclenii Exercitationes et disputationes ethicae & politicae

Goclenius, Rudolph

Marpurgi Cattorum, 1601

Quaestiones Nonnulla, Potissimum Ethica, Ad Intelligendum Ariftotelem &
Platonem, mafnsexparteutiles

[urn:nbn:de:bsz:31-109121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109121)

QUAESTIONES NON-
NULLÆ, POTISSIMUM ETHI-
CÆ, AD INTELLIGENDUM ARI-
STOTELEM & PLATONEM, MAGNA
EX PARTE UTILES.

I

*An & quomodo Philosophia dicatur à Platone, &
sit meditatio mortis?*

PLATO præclare docet, Philoso-
phiam esse viam ad felicitatem, e- In Phi-
losophisque duo esse maxima munera: deus,
Deum contemplari; & animum à
corporeis sensibus sejungere, nec corporis
curam gerere. Itaque ait, Philosophiam esse
meditationem mortis. Quod quidem sæpè re-
prehendi memini publicè ab hierophantis.
Sed boni illi viri mentem Platonis, quæ nun-
quam legerunt, non assequuntur, eam re ipsi
reprehensione digni. Sanè si Plato mortem
naturalem intelligeret, rectè vellicarent philo-
sophos, istud e Platone subinde repeten-
tes. At intelligunt philosophi nostri cum Pla-
tone mortem Metaphysicam & Ethicam: ut
sententia pronunciati: Philosophia est mor-
tis meditatio: hæc sit. Vera & solida philo-
sophia

Q 3

sophiæ cognitionis maximum est caput: Ut, quantum fieri potest, animum à corporeatum & impuratum affectionum, cupiditatum & voluptatum crassarum commercio separatū, sejunctum & exsolutum, in Dei contemplatione totum infigamus. Hæc est mors & *ἀφροσύνη* Platonica. Hæc animi à corpore sevocatio quasi mors est. Hanc & non aliam esse Platonis mentem, aurea hæc verba in Phædone clarissimè testantur. Philosophine tibi videtur esse in tuis quæ vocantur voluptatibus, ut cibi & potus, occupati? Minimè Socrates, ait Siminias. Quid verò in rebùs veneris? Neutiquam. Aliæne quæ ad corporis cultum spectant, res habet ille in pretio? quemadmodum excellentiam seu vestium, seu calceamentorum, aliorumq; corporis ornamentorum, copiam sibi comparare: Utrum videtur tibi illa aut in pretio habere, aut contemnere, nisi quatenus magna adsit necessitas eis utendi? Contemnere mihi quidem videtur illa verus philosophus. Ergo omninò videtur tibi hominis philosophi opera & labor in eo versari, non in curando colendoque corpore, sed quantum poterit, in seipso ab illo sevocando, ad animum verò penitus convertendo. Mihi quidem. Nónne ex his primum confici videtur, hac in re philosophi munus maximè apparere, quòd exquisita quadam præ-

ter

ter ceteros homines ratione animum à corporis communitate liberum immunemque reddat? Omnino. Verumenimverò, Similia, quamplurimi homines arbitrantur, eum qui nullam ex illis rebus voluptatem capit, non dignum esse vitæ istius usura, sed ad mortem propius accedere, qui non curam gerit iucundarum illatum rerum quæ ad corpus pertinent. Rectè quidem ais. Quid verò, cum sapientia ipsa comparanda est, an impedimento futuram sit corpus, necne, si quis ipsum in illa disquisitione socium assumpserit? Exempli gratia: Visusne ipse aut auditus quandam habent veritatem in hominibus? an verè distitant Poëtæ, nihil nos integrè aut audire, aut videre? Quod si hi corporis sensus minimè sunt integri, aut satis expediti, aut perspicui, vix ac ne vix quidem ceteri sensus sinceri extiterint: qui quidem omnes visû & auditu sunt imbecilliores. Nónne ita existimas? Ita, inquit. Et quando igitur animus veritatem assequitur? Cùm enim molitur unà cum corpore aliquid perspicere, apparet tunc ab ipso corpore seduct, atque circumveniri. Verum ais. Nónne autem animus ratiocinando, seu alio quopiam modo, res ipsas perspicuè complectitur? Certè. Tunc verò optimè ratiocinatur, cum ipsum nullus corporis sensus offenderit, seu audi-

Q 4

tus,

tus, seu visus, seu dolor, seu voluptas, Sed ipse apud se ipsum maximè sit, corpore contempto atq; repudiato, & quantum potest illud nulla communitate attingens, res ipsas certo instituto appetat atque persequatur; Ita se res habet. Ergo & hac in re nõnne philosophi animus maximè contemnit corpus, & ab ipso fugit: ipse verò querit apud se ipsum esse? Videtur. Hactenus Platonis verba: Ex quibus intelligitur, philosophum loqui de morte metaphorica, seu morte simili morti corporis, & mortem illam philosophicam seu Platoniam esse philosophi vitam. Mors quidem est respectu corporis: vita verò respectu animi. Ite nunc Platonoma styges, & porro divini viri sententiam de morte philosophica castigatè ac pervertite.

II.

*Sitne prima Philosophia an Politica omnium
artium architectonica?*

Distinguitur.

OMNIUM facultatum & disciplinarum longè princeps & domina est Theologia Christiana. Ostendit enim quæ & qualis sit conformitas naturæ hominis cum Deo, & lege ejus: est rectorix, moderatrix & gubernatrix vitæ ac morum: prohibet & damnat *iniquitates & innotetias*; inanem & fucam sapientiam,

plentiam, mag̃ a, &c. & completitur omni-
um ætionū h̃as. Docet enim bonum, quod
summum est absolutissimè. Sic ergo Christia-
na Theologia seu θεωσοφία seu ἀρχιτεκτονική po-
liticæ, adeo quæ humanæ sapientiz universæ.
Sed, si ab hac Theologia discesseris, Civilis
prudencia (quam πολιτικὴν dicimus) reliqua-
rum scientiarum regina est, & ἀρχιτεκτονική: id
est, reliquæ artibus maximè præest & impe-
rat. Reliquæ artes huic subiectæ sunt, ut im-
peratoria, ratio tuendæ rei familiaris, bene
dicendi facultas: fines reliquarum ad hanc or-
dinantur, destinantur, referuntur, quæ in suo
genere summum bonum persequitur. Hæc
& quas in civitate scientias esse oporteat, &
quas quisq; discere debeat, & quatenus, & us-
que ad quod tempus, statuit ac præscribit A-
ristoteles i. Ethic. c. i. Metaphysica, seu prima
philosophia, quam Plato Dialecticam, id est,
apodicticam vocat, est Platoni omnium arti-
um architectonica, & scientia τελευτή, su-
prema, primaria: quia utitur firmis & sempit-
ernis principiis, indeque ad ipsam ἀνοδότην
ἀρχὴν (quæ ex vi concessarum hypotheson minimè p̃-
det) Deum ἰσταντ' ἀγαθῶ, πρῶτον κ̃ κ̃ριον αἰνον
pervenit: & principia aliarum disciplinarum
exactè demonstrat. Hæc ei est παρδια, μέγιστη
μάθημα, id est, maxima disciplina, & vera ἀλη-
θινὴ philosophia, & ἑπίσιμον περιεργυγῆς: Reli-
quæ

Prudentiæ
politicæ sūc
subordinatæ
artes & sci-
entiz.

6. de Repub.

Mathesis
Astrono-
mia, Musi-
ca, Platonis
Dialectica
απειραιστί-
est, id est,
propædia.

Q 5

quæ

Metaphysicae seu primae philosophiae. quæ artes (ut mathesis) propædia ei sunt & ministræ pædias seu architectonicæ. Vocat autem scientiam *πρωταγωγής*: quia est disciplina, quæ animum nostrum ex his rebus genitæ & corruptioni obnoxiiis ad illustrissimam

Cur Metaphysica seu prima philosophia vocatur à Platone Dialectica. illum Dei lucem totum convertit. Vocat Dialecticam, quod *συλλογισμένην*, causas Entiū reddit λόγῳ ἀμείαπτῳ, non κατὰ δόξαν (ex opinione) sed κατ' εἰσάν: quod metho dicitur logica: quod rerum principia & εἴας ita contemplatur, ut etiam eas comoda & opportuna ratione edisserat & explicet. Non enim vult eum esse *δησιμόνα* seu verè scientem, quis sit *ἄλογος* & infans: seu non possit intelligentiæ suæ κατὰλήψεις seu animi sui sensa, ut si animis rationibus manire, ita luculenta oratione explicare. Quod autem Plato per Dialecticam intelligat Sapientiam, seu primam Philosophiam, seu Metaphysicam, nemini dubium esse potest, qui 7. de Republica legerit attentius. Tam magnificam enim vim atque potestatem Dialecticæ tribuit ibi, ut ea arti rectè docendi & disserendi, quæ reliquarum ministræ est, tribui non possit. Hæc, inquit, Dialecticæ ratio ita progreditur, ut, sublati hypothesebus, ad ipsum simplex impermixtumque principium pergat, ut & firmam fundamentum sibi substernat, oculumq; animi cæno quodam barbarico re vera demersum atq;

desol-

defossam sensim trahat, deducatque sursum :
 earum artium, quas supra exposuimus, (id est,
 Arithmetica, Geometria, Astronomia, Mu- In lib. de
 sica) veluti sociarum & famularum praefidis Repub.
 atq; adjunctis utens. Et paulò post: Nonne
 igitur tibi videtur Dialectica esse, velut cul-
 men & apex, in summo fastigio collocata,
 neq; ulla disciplina hac esse superior, sed illa
 omnium disciplinarum finem in se omniad
 habere? Non tamen silentio hic involvere
 debeo, quod res est: Platonem in Metaphy-
 sica seu Sipientia, quae ei absolute est Scien- Cum Meta-
 tia, comprehendere eam disciplinam, quae physicæ pri-
 nobis hodie est Logica, id est, ars ordine dis- ma philoso-
 ferendi, bene interrogandi & respondendi. phia Plato-
 Legem, inquit Plato, feres, qua jubeantur nis mista est
 eam potissimum disciplinam capessere, ex nostrâ Lo-
 qua & interrogare & respondere possint sci- gica.
 entissimè. Et: Neque verò quisquam nobis-
 cum disputabit affirmantibus, non aliam
 esse viam seu rationem, præter Dialecticam,
 quae in rerum omnium generibus rei unius-
 cujusque propriam definitamq; naturam co-
 netur certo ordine eruere. Sed dici quoque
 potest rectè, Platonem hinc Dialecticam ope- Metaphysi-
 rantem rebusq; applicatam intelligere. Qui ca est Diale-
 res, inquit, accuratè inspicit, & in illarum di- ctica meta-
 judicandarum natura est perspicax, Diale- physicæ ap-
 cticus dicitur. Qui verò hebes, ejus quoque plicata: non
 disse- docens, sed
 operans,

differendi facultatis beneficio caret. Et paulo antè. Nónne eum vocas Dialecticum, qui uniuersa; rei naturam notat & designat? Consideretur & hic locus Platonis: Illa, quæ ad Arithmetiçam & Geometriam, uniuersamq; illam doctrinam, quam *συναριθμητικὴ διαλεκτική* nomine designauimus (id est. quæ hominem ad differendum aptum reddit) pertinent, prius sunt accuratè tradenda; pueris, ut eorum cognitione animi ipsorum imbuantur. Ex his infero: 1. Nostra Dialectica non est scientia rerum seu *πραγματικὴ*, sed *λογικὴ*. At Platonis Dialectica est scientia rerum, omnem artem & scientiam novit: Ergo Platonis Dialectica non est simpliciter nostra Dialectica. 2. Nostra Dialectica est *προαριθμητική*, id est, institutio doctrina; præcedens Arithmetica, Geometricam, Musicam, Astronomiam. At Dialectica Platonis non est ei præcedens: sed Arithmetica, Geometrica, Musica, Astronomia sunt Platonis *προαριθμητικά* illa, quæ hominem ad differendum (ut Plato differere accipit) aptum reddunt, ideoq; huic facultati in docendo præmittuntur. Ergo Dialectica Platonis non est simpliciter nostra Dialectica. Mathematicæ artes sunt gradus ad cognitionem Dialecticæ Platonicæ: velut ancillæ operarij & atq; ministeria Dialecticæ præbent Platonis, Mathematicæ autem artes non sunt ancil-

ancillæ nostræ Dialecticæ, sed nostra Dialectica est ancilla illarum. Ergo Platonica Dialectica non est simpliciter nostra Dialectica: quæ nihil aliud est quàm rationis humanæ rectus usus, ac velut animæ apud se dialogus. Quod vel hinc maximè apparet. 1. quod vult Plato, ne quis Dialecticas rationes degaster, nisi 30. annos natus: quinq; autem annos adhibeat ad Dialecticas perceptionem. 2. quod vult in lib. de Rep. rebus nomina imponere, esse Dialectici, qui sit singularis artifex, id est, rerum ipsarum peritissimus. Nominum, in *In Cratylō* quit, institutorem decet nominis moderatorem habere Dialecticū (id est. hominem discerendi facultate instructum) siquidem futurum est, ut nomina præclarè rebus imponantur. Et paulò post: Nominum impositio non est opus vulgare & humilium hominum. Non quilibet homo est nominum artifex, sed ille demū, qui ad illud nomen respicit, quod rerum naturæ exprimendæ atq; se representandæ peculiariter quadrat, & qui illius nominis formam literis & syllabis imponere, & accommodare potest. Sed nostrum Dialecticum & nostram Dialecticam, quæ *διὰ τὸν λόγον* est *ἢ διὰ τὸν λόγον*, Platonem nomine Dialectici & Dialecticæ minimè excludere ex eo etiam liquet. 1. quod in *Cratylō* vult id munus ad Dialecticum omnino perti-

pertinere, ut quidem definitionis & divisionis efficacia vocabulorum simplicium naturam investiget: deinde adhibeat hæc vocabula, tanquam cæmenta & materiem seu sylvulam ad orationis molem construendam, necessariamq; conclusionem consiciendam. 2. quod ibidem dicit: Illam qui peritè novit & interrogare & respondere voco Dialecticum: ubi ratione interrogandi & respondendi vim differendi circumscribit. 3. quod in Phædro apud eum Socrates inquit: Si alium quempiam existimarem, ea naturæ bonitate præditum, ut unum & multa, eo quem notavimus modo, designare posset: hujusego, ut divini, vestigia læctarer. Eos autem, qui hoc præstare possunt, commodo incommodove vocabulo appellem, Deus novit. Voco autem hæctenus DIALLECTICOS. Sed quò prolabimur? Ad Ethica redeamus. Volui autem hoc de Dialectica Platonica in medium, datam mihi occasione ex tractatione propositæ quæstionis, afferre: quòd sciam paucos hic Platonem dextrè solideque intelligere, & ipse quoque aliquando à vera ejus intelligentia aberraverim.

III.

*Quomodo Ethica & Politica sint Medicina & vera
maximèq; Musica.*

MEDICA

MEDICINA *ἰατρικὴ* seu artis & Ethicæ digna consideratione est cōvenientiæ. Ut enim medicina est ægritudinum corporis expultrix: Sic Ethica morborum animi. Ut medicina mediocritate seu moderatione ciborum & exercitiorum corpora servat, quæ defectu & excessu corrumpuntur & intereunt: Ita Ethica mediocritate & temperatione actionum servat integritatem animi, quæ labefactatur vel tollitur actionum exuperantia & offensione. Quod corpori, in quo Medicus versatur, est sanitas: Hoc animo, in quo Ethicus occupatur, est felicitas. Quod in corporibus est robur & vires: Id in animo sunt virtutes. Sic & inter Musicam & politicam pulcherrima intercedit similitudo & cognatio. Ut enim Musica temperantur voces & soni, ut, quamvis natura inter se differant, attamen quoad harmoniam mirificè consentiant: Ita fortis ac temperantis ratio & appetitio (*ἀρετὴ καὶ ἠδὴ*) ut distinguantur, attamen ad honesta simul conspirant. Omnia, inquit Aristot. i. Ethic. nempe in fortibus ac temperatis hominibus, rationi consonant. Sic præclare Cic. in lib. 2. de Rep. adducente hunc locum August. de civitate Dei, lib. 2. c. 21. Ut in fidibus & tibiis atque cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis: quem immutatum ac discrepantem aures eruditæ

Virtutes
morales
medeorum
virtuosas
affectibus.

In Musica
nihil est
πλημμελὲς
inconcinnū
inordinatum.

diffonum,
discrepans:
Sic & in E-
thica.

eruditæ ferre non possunt: Isq; concentus et
dissimilimarum vocum moderatione con-
cors tamen efficitur & congruens. Sic ex sum-
mis, & mediis & infimis ordinibus, ut sonis,
moderata ratione civitatem consensu dissi-
millimorum concinere: & quæ harmonia à
Musicis dicitur in cantu, eam esse in civitate
concordiam, arctissimam atq; optimam omni
in Repub. vinculum cœmunitatis, eamq; sine
iustitia nullo pacto esse posse. Huc usq; Cic.
Quare verò Plato Ethicam vocat veram &
μεγίστην μουσικὴν maximam Musicam? &c. Quia
Ethica agit de *εὐαρμυσία* quadam morum animi
ἁρμονία. Ut ars canendi de sonorum, vocum,
fidium harmonia: sic hæc Musica prorsus di-
vina de concordia inferiorum & mediarum
animi partium cum ratione seu *ἁρμονικῆ* agit.
Vide 3. Platonis de Repub.

 IIII.

An bene moratis seu viris bonis Ethica proficit?

Affirmatur.

NECESSARIUM est, inquit Aristoteles, pulchre
moribus institutum esse, qui futurus est
idoneus, id est, utilis auditor de honestis
& iustis, deq; aliorum virtutibus. At qui bene
morati sunt, iis videtur Ethica nihil prodes-
se, ut remedia nihil profunt sanis. Resp. Ni-
hilominus bene institutis Ethicam prodesse
Nata

Nam tantum Aristoteles hic requirit libera-
 lem bonamque educationem, & nonnullam
 experientiam seu usum bonorum morum,
 non autem horum absolutam notitiam per-
 fectamque; adeptionem. Qui enim aliquē ho-
 nestorum & justorum gustum perceperunt,
 hi possunt ex præceptis plenam distinctamque;
 doctrinam eorum, quæ hætenus tantum con-
 fusæ atque; usu aliquo noverunt, sibi vendicare,
 & adepta tali doctrina ad absolutissimam, quæ
 quidem in hac infirmitate esse potest, vitam
 & felicitatem consequendam multum pro-
 ficere. Sic medicina prædest etiam sano, non
 quidem absolute tali, sed in gradu remisso, ut
 ei, qui nondum est satis confirmata valetudi-
 ne. Inquis: multi, qui malis moribus sunt im-
 buti, possunt audire & cognoscere Ethica.
 Resp. Possunt quidem: sed loquitur hic Ari-
 stoteles de idoneo Ethicæ auditore, id est, u-
 tili & practico, seu quærit de iis, quibus do-
 ctina beatæ vitæ frugifera sit futura. Ait e-
 nim: hujus disciplinæ finis est mancus & im-
 perfectus, nisi virtutis actio contemplatione
 sequatur. Qui pravus moribus est institutus,
 potest quidem quæ recta sunt & honesta co-
 gnoscere, sed in ea notitia non facile & liben-
 ter acquiescit: agrè obtemperat cognitioni.

An juvenes, incontinentes, officiorum expertes, sint apti & accommodati auditores Ethicæ?

Distinguitur ferè.

NEGATIO est Aristotelis i. Ethic. cap. 7. ex eo quòd subjaceant perturbationibus, seu suis rapiantur affectibus, ideoque facere non possint, quæ Ethicæ præcipit. Sed videtur mihi hæc ratio parum firma. Primum enim juvenes à philosophia moraliter acceri non debent ut inutiles auditores, quòd sint officiorum expertes, & libidini animi parent. Idcirco enim majori diligentia debent Ethicæ audire, ut discant mores suos regere, & affectus rectæ rationi subicere. Est enim Ethicæ cultura animi, quæ vitia radicitus extrahit, & præparat animos ad recipiendos satus, eaque mandat his, & ut ita dicam, inferit, quæ adulta fructus uberrimos ferant. Ac ut medicina ægrotorum, sic Ethicæ pravorum causa inventa est. Præterea juvenes aliquando Ethicæ satis idonei sunt auditores, nempe cum natura sunt propensi ad virtutem, aut disciplina educationeque informati. Et *ἀπαλείς*, id est, incontinentes non nunquam aliquo cum fructu Ethicæ audiunt. Ad meliora enim quoquo modo extimulantur, cum audiunt, quònam à cupiditatibus sint abrepti, & intelligunt quantum abint à recto.

Quare

Quare accipienda est sententia Aristotelis non simpliciter, sed comparatè. Juvenes ignari vitæ & incontinentes minus idonei sunt auditores Ethicorum, nempe si cum aliis conferrantur, qui jam suos affectus rationis magisterio subjecerant: & distinguendum inter incontinentes incurribiles, seu desperatæ salutis (ἀνίατος) & sanabiles. Illi nō sunt fictuosi auditores philosophiæ moralis: Hi esse possunt.

VI.

An qualibet natura appetat bonum?

Affirmatur.

AFFIRMATIO est Aristotelis & philosophorum qui ante eum fuerunt. Ordinatæ enim sunt res ad finem, qui rationem habet boni: & speciatim objectum voluntatis est bonum. Sed inquis, multi homines feruntur ad scelera. Judas Iscarioth appetit mortem, quæ sua natura mala est, cùm dissolvat compositum. Habens febrim ardentè appetit sæpè id, quod morbo est noxium. Ergo non omnia bonum appetunt. Hic respondendum ad antecedens: Ea mala appetuntur sub ratione bonorum. Judas appetit mortem ut bonam: putat enim melius esse, non esse, quàm malè esse, vitam abruptè, quàm malè sibi conscium vivere. Abesse à malo, & malum aliquod evitare est non parvum bonum.

R 2

ut est

ut est in Rhetoricis Aristotelis. Et cum febril
 conflictans in æstu appetit Zythum frigidum,
 quod etsi ratio bonum esse non iudicat, sed
 malum: sensui tamen bonum est. Omnia igitur
 appetunt bonum: sive sit simpliciter bo-
 num, sive alicui bonum: sive sit absolutum bo-
 num, sive comparatum, & aliò relatum: sive
 sit naturale bonum, sive morale bonum: sive
 sit verum solidumque bonum, sive apparen-
 sive sit natura bonum, sive opinione: sive sit
 per se bonum, sive per accidens. De triplici
 bonitate vide Scalig. exerc. 307. sect. 27. &
 eundem de duplici pulcro, ex. 300. sect. 4.

VII.

*An divisio Peripateticorum bona sit: Alia bona
 sunt animi: alia corporis: alia fortuna?*

Videtur negandum.

PERIPATETICORUM familia solet divi-
 dere bona in bona animi, corporis & for-
 tunæ, divitias, amicos, honores, & similia
 vocans bona fortunæ, quòd magis causæ all-
 cujus incertæ beneficio, quàm natura vel in-
 dustria humana comparari queant. Atque sic
 divisio ista λογική non est. Priora enim duo
 membra sunt subjecta: Posterius causa effi-
 ciens, quòd fortuna credatur ea elargiri. Tum
 autem logica fuerit, si pro τὸ Fortunæ surnas
 Externas (τὰ ἐξωτά.) Fortuita enim, quæ illi vo-
 cant,

cant, sunt extra corpus, & non nisi mediatae corpori adhibentur, vel potius extrinsecus totum hominem attingunt. Homo igitur est subiectum externorum bonorum sustinens. Hic recipit & sustinet honorem. Externa bona sunt adjuncta adhaerentia, quae novè D. Polanus vocat sustentata. Honor recipitur ab homine, sustinetur ab homine, & adhaeret ei. Bona verò interna (*τιὰ ἐντὸς*) nempe corporis & animi, sunt horum adjuncta recepta inhaerentia. Corpus & animus subiecta recipientia continentia. Si tamen fortuitis bonis solum nomen fortunae reliquas, & simpliciter per ea intelligas externa, divisionem non rejecerim, spectans ut logicus *ἡγεῖται* & sententiam potius, quàm verbum.

VIII.

An divitia, virtutes, &c. sint neq; res bona, neq; mala?

Negatur.

STOICI disputarunt, quae non sunt bona *ἠδικῶς* (moraliter) ea bona dici non debere: ut sunt opes. Ab illis abimus, cum bonum sit genus, seu *γενὸς*, complectens omnes res à Deo concessas & probatas. Plato in Gorgia utitur hac hypothese: Quaedam res sunt bonae, ut sapientia, sanitas. Quaedam malae, ut a sapientia, & grando. Quaedam per se neque

R 3 bona

bonæ neq; malæ sunt, sed sunt *μελαζὺ τέτων*, id est, mediæ seu neutræ, id est, mediam quandam communemq; habent naturâ: aliquando quidem bonum, aliquando verò malum participant (*μετέχει*): aliquando etiam neutrû, ut *ἄνεργ* sunt sedere, incedere, currere, navigare, edere, bibere: Præterea lapides & ligna, & aliæ res ejusmodi. Huc refert & spoliare bonis, urbe expellere, interficere: potest enim quis vel spoliare bonis, vel interficere, &c. benè vel malè, pro causâ substratæ naturæ. Sunt igitur hæc actiones in earum rerû numero, quæ mediam quandam naturam obtinent. Ergo etsi quædam res mediæ esse, id est, aliquando bonas, aliquando malas concedo: puto tamen rectè dici lapides, ligna, & similia esse res natura bonas, usum verò esse medium. Sic gladius cum constet ex ferro, quod creatura Dei est, bonus est: at quandoq; usui justo, quandoq; injusto servit: Sic affectuum natura bona est. Usus autem eorum interdum est bonus, interdum malus. Distinguo igitur affectuum (ut & similibus rerum) naturam ab usu aliorum. Quod ergo Petrus Martyr ait, voluptates corporeas si contineant se justis & debitis terminis, mediæ esse, ad id dico: mediæ esse usu, non verò natura sua. Sic enim ipse se interpretatur: Mediæ sunt, inquit, quia illis homines & rectè uti, hoc est, ex virtute

arque

Opes, gladius, &c.
per accidēs,
cum nocēt,
mala sunt.
Object.
In i. Eth. A.
Aristotelis.
Rcip.

arque ad bonos laudabilesq; fines & abuti ad malum finem possunt. Castina enim à delictis & voluptatibus sibi temperabat, ut patriam perderet.

IX.

An bona externa sint bona simpliciter?

ARISTOTELES lib. 5, Ethic. cap. 2. ea bona, inquit, in quibus secunda & adversa fortuna locum habet, sunt bona simpliciter & absolute quidem semper, sed huic vel illi non semper. Sed idem lib. 1. cap. 4. ea non simpliciter bona esse statuit. In divitiis, inquit, nec est id bonum, quod querimus, positum. Illæ enim utiles sunt duntaxat, & ἀπὸ χάρις, id est, propter aliud expetendæ (id est, non propter se, sed propter usum.) Hæc videtur esse ἀνπλογία, ut solæcophanes videtur esse solæcismus. Apparens igitur tantum contradictio est. Nam bona externa, ut divitiæ, honores, robar, pulchritudo, non sunt simpliciter bona collata cum aliis bonis, quæ per se expetuntur, & propter quæ illa expetenda sunt: ut cum virtutibus animi (quæ ἀπλῶς bona sunt) sunt verò simpliciter bona quatenus per se considerantur, & quatenus expetuntur: nisi enim in bonis essent, esse q; talia viderentur, non expeterentur: quæ tamè huic vel illi mala esse possunt per accidens propter abusum.

R 4 *ΚΑΡΥΚ*

X.

Bonum quod propter se tantum expetitur, sitne optimum?

Affirmatur.

CUM bonorum partim suapte tantum vi expetantur, neque usquam aliud referantur: ut, Beatitudo: (Mureto hujus classis est voluptas: Neque enim, inquit, eam propter aliud expetimus: ipsa per se à quocunq; sentiiri potest, ei desiderium incurrit sul.) Alia & per se & aliorum causa, quæ ex ipsis efficiuntur (ut sensus valetudinis, & virium firmitas, hæc enim & per se & propter vitæ commoditates, diligimus.) Alia deniq; expetantur, quod ad aliud quippiam conducere purentur (ut laboriosæ exercitationes corporum, sectiones venarum, sumtiones amarorum medicamentorum.) Quaritur igitur, primò ne an secundo generi primæ adjudicandæ sint? (terrium enim in hoc quidem certamen se non offert.) Pro secundo sic arguitur: Quod duobus nominibus expetitur, melius est & præstantius, quàm quod uno tantum. Secundi generis bonum expetitur duobus nominibus, per se, & propter aliud. Ergo præstantius est primo, quod expetitur Per se tantum. Nego majorem. Id enim præstantissimum optimum & summè bonum est, quod tantum propter se, nullo autem

Object.

Solut.

lo autem modo propter aliud expetitur: seu ad quod ut scopum pertinent cætera, ipsum verò nusquam dirigitur, teste Aristotele. Tale bonum propriè est Beatitudo.

Bonorum
finis beati-
tudo.

XI.

*An voluptas quadam sit bonum si virtus eque-
morum, id est, per se expetibile?*

Distinguitur.

VOLEPTATEM quandam, ut puriorem in primis, quæ cum natura congruit, & non habet excessum, bonum esse per se optabile, quamvis nullis aliis bonis fuerit comitatum, Aristoteles 1. Ethicorum innuit non obscure. Et certum est, nos suavem concentum seu harmoniam Musicam per se expetere. Sed obstare videntur huic assertioni duo: Primum, quòd voluptas propter vitam expetitur, non è diverso: Quod autem propter aliud est desiderabile, non est per se tale. Secundum: voluptas consequens potius est felicitatis, & tale quid, sine quo virtus exerceri nequit, quàm pars essentialis felicitatis. Ad hæc objecta etiam respondere possit, ex iis quæ suprâ attulimus ad penultimam in quæstione de Idea boni objectionem: tamen nunc responsionem conficiemus ex quadam bonorum *τελειότητι*, sumta ex 2. de Repub. Platonis, quæ habet analogiam cum distinctione gene-

R 5 ris in

ris in summum, medium, & infimum. Quædã ita per se desiderabilia sunt, ut ad alia præstabiliora referri nequeant: ut est felicitas ipsa, Deus. Quædam per se quidem & natura sua expetuntur, sed tamen ad alia etiam dirigi possunt, ut sanitas, voluptas & virtus. Quædam deniq; per se ipsa non eliguntur, sed tantum quia commoda sunt ad alia percipienda, ut sunt pharmaca, sectiones, adustiones, & similes molestiæ, quas nonnulli subeunt eo fine, ut sanitatem recuperent.

XII.

An sola virtus eiusq; actio sit bona.

STOTIC id solum bonum esse & experendum dicebat, quod esset honestum: Cetera, ut sanitatem, puras voluptates, formam, acerrimos sensus, divitias, honores, gloriam, non bona, sed *ὀφελήματα* & *εὐχρησθήματα*, id est, emolumenta & commoda & *προσθήματα* prælata, eligenda, præferenda vel sumenda appellabant. Hæc sententia in scholas non est recipienda. Boni enim natura latius patet, quam ut ad virtutē astringi possit. Argumenta Stoicorum soluta facilia sunt: Quorum primum est: Nullū bonum malo est. Divitiæ sunt malo (id est, nocent) seu nutrimenta sunt libidinum & flagitiorum. Ergo divitiæ non sunt in bonis. 2. Bona bonum virum efficiunt: Seu

omne

omne bonum facit possessorem suum meliorem. Divitiæ, cibus, potus, non efficiunt bonum virum. Seu: Opes non efficiunt possessorem suum meliorem. Divitiæ igitur, cibus, &c. non sunt bona. 3. Quæ afferunt insatiabilem cupiditatem bona non sunt. Divitiæ afferunt insatiabilem cupiditatem. Ergo. 4. A conjugatis. Quod honestè fit, id solum benè fit. Ergo id solum bonum, quod est honestum. 5. Bonum est, in quo natura acquiescit. In valetudine, honoribus, opibus, magnificis rebus non acquiescit natura. Videmus enim homines his rebus circumfluentes, eas tamè maximè desiderare. Ergo hæ res non sunt habendæ in bonis, seu rebus expetendis. Resp. ad 1. objectum, Fallacia est accidentis. Divitiæ sunt malæ, non per se, sed per accidens, propter abusum divitum, qui contingens est non necessarius. Resp. ad 2. Propositio major tantum de Morali Bono vera est. Falsa igitur de Bono Naturali, quod est quiddam ordinatum à Deo congruens ad naturæ conservationem. Tale bonum est omnis creatura Dei, ut Sol, Luna, uxor, herbæ. Videbat Deus quæ fecerat, & erant bona, id est, congruentia cum ordine in mente divina, & ad bonos ipsiq; placentes usus ordinata. Resp. ad 3. Assumptio non est necessaria, & fallit in Davide Rege & aliis verè piis. Responsio ad 4. Nego antecedens. Nam benè dicere

nè dicere vel loqui possumus, & tamen non honestè, sed ornate vel purè & emendatè. Alia est bonitas naturalis vel artificiosa; Alia Ethica. Respon. ad 5. Propositio est vera de bono infinito & increato, seu de bono summo, non de bono creato, seu de gradibus bonorum inferiorum: Ubi id omne bonum dicitur, quod hominis naturæ convenit, sive homo acquiescat in eo, sive non. Summum verò bonum id tantum dicitur, propter quod media omnia ordinata sunt, & in quo adeptus velut in portu acquiescit res.

XIII.

An desiderium honoris in bonis ponendum sit?

MODERATUM (qui non transgreditur limites modestiæ) honorum appetitum non esse vitio vertendum, nemini dubium esse debet. Honos enim est externa significatio & testimonium opinionis, quæ de aliquo eruditione prædito seu virtute conspicuo viro habetur à prudentibus & rectè judicantibus, ut & in rectè agendo confirmetur, & ejus autoritas exemplumq; aliis proficit, & Deus in eo celebretur virtutis omnis auctor. Ambitus tantum & ἀριδομία dantur crimini. Ambitus est, cum honores emuntur, cum penes quos est potestas dandi conferendiq; eos, largitionibus corrumpuntur. Con-

viti

victi hujus vitii damnabantur multa pecuniaria, & fiebant infames. *Αφιλοπυμία* est honoris contemptio & neglectio. At enim Fabius *Objec.* Maximus apud Livium inquit: *Gloriam qui spreverit veram habebit.* Ergo *ἀφιλοπυμιον εἶναι* seu prorsus non expetere honores non ponitur in vitio, sed laudi datur. *Respon.* ad antecedens: Id verum non esse ita simpliciter, & sine adjectione prolatum. *Solut.* Qui enim gloriam spernunt, solent esse ignavi vel leves, & nullius preclii homines: sicut ille inquit: *Levis* *Levis, quem non extimulat gloria decus.* est: nec illum stimulat gloriae decus. Muretus, cui facile assentior, judicat antecedens esse truncatum, quod legendum sit: *Gloriam vanam qui spreverit, veram habebit.* Hæc lectio veram sententiam continet. Est autem vana gloria, quæ non nescitur virtute & probitate, ut fundamento, quæ non proficiscitur à sano judicio, quæ populari duntaxat rumore consistatur. Conjectura hujus lectionis inde est, quod Muretus antiquitatis eruditæ studiosissimus habuit exemplum operis Liviani, in quo ita legitur: *Gloriam, quam qui spreverit, veram habebit.* Facilis autem lapsus est, pro Vanam, scribere Quam.

XIIII.

Cum honos virtutis premium sit, cur tamen minus ferè quisq; in patria floret?

NOTA

NOTA est sententia Servatoris nostri suo
 ipfius exemplo comprobata : Non est
 Propheta in honoratus, nisi in patria sua,
 & inter cognatos & domi suæ. Unde extitit
 hic versiculus adagii loco decantatus : In pa-
 tria non est acceptus gente Propheta. *Quæ-
 stio* igitur est : cur inter nemo suos facile in-
 clarefcit amicos ? Unde est, quod minus vale-
 ant & floreat homines quisque in sua patria.
 Prudentissimus & doctissimus vir Reinhar-
 dus Hamerus, Justitiæ Sacerdos integerrimus,
 & civitatis Marpurgensis consul, hoc *Sitruæ*,
 quod dignum videretur explicatione, mihi
 proposuit, iudicans eleganter, fieri hic ferè
 quod in ramo & silvestribus herbis transplan-
 tatis. Si ramum ramus adoptet (ut loquitur
 Poëta) ille ipse ramus postea excrefcit in justæ
 magnitudinis & altitudinis arborem : qui qui-
 dem in sua arbore nil nisi ramus aut stolo ef-
 fet & mansisset. Si verò plantæ silvestres trans-
 ferantur in aliam terram, sæpè naturam ac ha-
 bitum silvestrem quasi exuunt, & mitlorem
 induunt. Hæc partim explico, partim ampli-
 fico sequentibus. Advena fama venit semper
 majoribus alis. Ita comparatum esse in rebus
 humanis, scimus omnes. Uberior seges est
 peregrino semper ab agro : Externumq; pec-
 cus grandius uber habet. Adde, quod boni
 natura est, ut longius latiusque sese propaget :
 & ex-

& extranea etiam studeat ad sese allicere, alle-
 taque, si suum locum tueantur, magnificiat.
 Præterea apud nostrates liberius vivere, &
 seignius agere solemus: gravius verò & sta-
 diosius apud ignotos. Quo fit, ut apud hos
 simus gratiosiores, & majore afficiamur ad-
 miratione. Huc accedit, quòd id, quod inde
 usque à pueritia objectum fuit oculis, solet
 vilescere, & veluti satietate fastidiri. Ad ex-
 tremum, non in minimis ponenda est hæc
 causa: In patria doctus quispiam vir & virtu-
 te præditus non contemnenda solet minori
 in precio haberi: quia multi hærent cogita-
 tionibus in conditione parentum & cogna-
 torum, in vitæ genere, in humillitate, & ob-
 scuritate stirpis, in externa vilitate personæ.
 Hinc cives Christi offendebantur in ipso.
 Dicebant enim: Nonne iste est faber ille fi-
 lius Mariæ, frater Jacobi? &c. nonne & so-
 rores ejus hæc sunt? Ingeniosissimus Poëta
 Hermannus Kirchnerus Faginâs quæstio-
 nem propositam sequentibus verbis nobis
 explicans: Ciceronem, inquit, legimus ex
 Asia in Italiam obito provinciæ munere
 laudibusque terra marique completo rever-
 sum divertisse in celebri loco, magnamque
 sui ibidem ob res præclarissimè gestas exi-
 stimationem & curam sperasse, avidumque
 explorandæ de se famæ obvlum quenque in-
 terro-

terrogasse: Nihilne de Cicerone in Asia pro-
 consule inaudissent? Cùm quid hominis ille
 sit nescire se affirmarent omnes, ingemisse
 Arpinatem, & hicne meæ gloriæ fructus, di-
 xisse, ut cùm foris homines meum nomen
 cælo adæquaverint, domi nemo sit, qui illud
 agnoscat? Idem accidere plerunq; videmus,
 ut qui apud exteros in luce, oculis & ore o-
 mnium sunt, domi tanquam Nili caput ob-
 scuri, testudinis instar meridiana lateant. Et
 quod Archimedi mortuo contigit, cuius nisi
 Tullius advena Siculis, apud quos erat, de-
 monstrasset monumentum, ex vepretis eru-
 tum: nemini civium unquam innotuisset: I-
 dem vivis multis foris clarissimis evenit, ut si
 ab hospite in civitate illorum inquirantur la-
 res & ædiculæ, vix centesimus occurrat, qui
 nomen virorum norit: Aded, ut tanquã Ma-
 gis ex oriente ad Christi cunabula stella duce
 opus erat: Ita Mercurii caduceo, aut Cereris
 lampade, qua in indaganda filia Proserpina u-
 sa est, indigeas, si tanquam Lamiam, quæ in-
 tus cæca, foris oculatissima, hominem vitæ &
 virtutis doctrinæq; nomine apud exteros flo-
 rentissimum, domi suæ invenire voles. Unde
 autem hæ tenebræ & nubes domestica? An,
 quemadmodum è longinquo fax illustrior est
 & Luna, licet terris citima, Sole, qui subli-
 mius positus est, pallidior: Ita in aspectu viro-
 rum

rum illustrium domestici oculi habentur, peregrinorum obrutus vegetior & clarior est? An: quod de Pompejo dicitur, quod nec majorem nec parem ferre potuerit, idem de omnibus dicendum, qui ex hisdem cunabulis & eodem loco progrediuntur. An, quod il faciunt, qui ex unis carceribus ad metam propositam anhelant, alter alterum turbare & impedire conantur: idem in curriculo communis vitæ cives & populares alter alteri faciunt? In theatro, ubi uni applauditur, reliqui competitorum invidia ferè rumpuntur, mussant, & alto premunt corde dolorem, & quicquid possunt, obtundunt ac objiciunt, ad alterius palmam vellicandam & minuendam: Ita in hoc circo civili, ut cum Lyricorum principe loquar, virtutem omnes incolumen odimus: sublatam ex oculis quærimus invidi. In popularibus civitatum statibus hoc apparet pressius, ubi ejusdem loci & gradus esse volunt omnes. Et quæ Ostracismi in Repub. Græca causa fuit alia, quàm quodd vulgus æquali secum conditione hominem altius aliquantò virtutis & ingenii ala progressum tanquam aquilam in nubibus intueri nollent, ob idque deprimerent? Vide: an non & hodie singuli, qui aliquo dono excellent, in suis opidulis tanquam in Ostracismo sint?

Utrum Honos sit honorantis potius quam honorati?

IN his potius qui nos honore afficiunt, quam in nobis qui honore afficimur, honos esse videtur Aristoteli. Itaque eidem summum bonum non est, cum summum bonum sit proprium quid & in potestate habentis, & bonum *δυνατότατον* (quod facile auferri nequit.) Honos verò qui nobis tribuitur, pendeat ab aliis, nempe hominibus, qui interdum nos honorant, interdum nos honore defraudant. Sed non absurdè etiam dici potest: Honorem potius esse honorati. Ad hunc enim honos tendit, hic honorem recipit. Utriusque autem & honorantis & honorati bonum esse honorem, & extra controversiam est, & ex definitione honoris apparet: Honos est externa significatio opinionis, quam de virtute alicujus prudentes rectè què judicantes habent. Honor est honorantis: quia significatio opinionis de nobis ab honorante proficiscitur, ut effectum à causa mota seu impulsà. Omnis actio proba ejus est bonum, cujus est actio. Honos est actio justa probaque honorantis. Ergo honos honorantis bonum est. Honor est honorati: quia in eo est virtus (ut fundamentum honoris) quæ ut efficiens impellens seu *movens incitat homines ad bene de nobis sentien-*

sentiendam. Cujus boni quis initium & cau-
sam in se habet, ejus esse dicitur bonum. Qui
honoratur, in se principium habet honoris,
ut probitatem, eruditionem. Ergo honor ejus
bonum est. Præterea honor est honorari pro-
pter effectum: Quia honoratus fructum ho-
noris percipit, quando auctoritas ejus ampli-
ficatur ad alios in officio continendos: & ve-
hementer lætatur, cum de rebus bene à se ge-
stis bonos rectè existimare animadvertit.

XVI.

*Utrum honor inseparabiliter consequatur virtutem:
an verò à rectè factis disjungatur?*

DUBITATUR, an tanta necessitudine
inter se conspirent virtus & honor, ut
semper conjungantur. Qui affirmant,
utuntur hac sententia comparata: ut umbra
corpus; sic honor virtutem sequitur. Qui ne-
gant, nituntur argumento experientie, quæ
locuples testis est, virtute & eruditione præ-
ditos viros interdum non honorari, quod ho-
mines, à quibus honor proficisci debebat, la-
borent morbo gravissimo invidiæ, aut arbi-
trentur honorem collatum in alios quasi of-
ficere suis luminibus, aut satietate quadam
bonos fastidiant. Scilicet: Rarius est carum:
Vilescit quotidianum. Et: In Patria non est
laudatus gente Prophetes. In utraque igitur, pu-
tas,

ras, sententia esse acquiescendum? Utrum dicendum: honorem semper virtuti conjunctum esse, si non actu, at potentia saltem? An id, quod res est, cum P. Martyre demonstrandum è similitudine: Gloria virtutis comes est, ut corporis umbra? Ut umbra corpus quidem comitatur, at non semper eodem modo: nonnunquam enim præcedit, interdum jungitur à latere, & quasi incedit unà: interdum sequitur pro diversa corporum sēs & radiorum illapsu, ut docent Optici: Ita quorundam virtus vix incoata, seu sub ipsis ejus initis habetur in honore: aliorum verò virtus non suspicitur & prædicatur, nisi cum aucta est & perfecta: Denique videas aliquot non antè honoratos, quàm vivere desierint. Nescio enim quo pacto comparatum sit, ut ea quæ in manibus nostris posita sunt bona, & oculis quotidie obversantur, sensim quasi obrepente satietate fastidiamus, eorumque nos tandem pertrahat. Ubi verò elapsa amissaque sunt, incredibile sui desiderium excitent, & animus multò ea ardentius (licet serò) requirat. Sic ut scitè Horatius: Virtutem, inquit, incolumem odimus: sublatam ex oculis requirimus invidi. Comitatur igitur honor, ut præmium amplissimum, virtutem, sed non semper eodè gradu & splendore, nec omni tempore honos, ut ab honoratibus proficiscitur,

tur, virtuti re ipsa conjunctus est : Interdum
 antecedit virtutis perfectionem : Interdum
 conjunctus est cum virtute, vel intervallo all-
 quo consequitur eam : Interdum est obscu-
 rior, interdum illustrior.

XVII.

An Plato Summum bonum constituat quodam-
 modo multiplex?

Affirmatur.

PLATO de summo bono (cujus explicatio-
 nem Ethici sibi vendicant) agit dupliciter
 in Dialogis suis. Tum καὶ αὐτὸν πρῶτος, id est, Bonum ab-
 est, per se, absolute, primò. Id est Deus, omnis solutū: Fe-
 felicitatis Idea, ipsa ἀγαθότης bonitas, princeps licitas sim-
 omnium rerū, ἀρχὴ ἡ, principium & finis. Tum plex.
 ἢ κατ' ἀνθρώπων, id est, quatenus in hominem Bonum hu-
 illud bonum cadit. Hoc bonum est similitudo manum, seu
 Dei. Hæc non potest esse, nisi infiniti boni ad politicum:
 nos inveniunt rivuli. In hoc igitur consistit ea Felicitas cō-
 similitudo, ut illius boni simus participes: juncta seu
 Quod fit, cum mens nostra cognoscit & am- mixta.
 pie ætetur illud bonum, & voluntas illud amat,
 eoque perficitur. Quare statuit Plato: summū
 hominis bonum, seu humanam felicitatem,
 nec in sapientia seorsum & per se, nec in cōsu-
 ptiā, id est, siacra voluptate inesse, sed versari
 in mixtione sapientiæ (non inanis, sed effica-
 cis justitiæ & pietate) & voluptatis: quatenus

S 3

cum

cum tertio quodam, id est, absolute summo bono, Deo videlicet, communicant. Neutra enim est bonum αὐτάρκες, τέλειον, ἰκανόν. Sic felicitatis humanæ πρωτεία seu primas tribuit Deo: τὰ δευτερεῖα νεῖο, id est, secundas assignat sapientiæ & honestæ voluptati humanæ, ut quæ propius ad summum illius boni (Dei) naturam accedant. Hæc ferè congruunt cum sacris literis, è quibus colligitur felicitatem nostram consistere in imputatione justitiæ Christi, & remissione peccatorum (de quibus tamen nihil Plato) & agnitione & celebratione Dei, cum solida & εὐκρινεῖ læticia conjuncta, & συμμετοχῇ θεῷ seu κοινωσίαι θεῖας φύσεως. Hanc felicitatem omnibus numeris perfectam atq; cumulatam credunt & sperant verè Christiani.

XVIII.

An Idea Boni sit summum bonum?

Affirmatur.

PLATO asserit felicitatem hominis consistere totam in uno bono separato & distincto à rebus: in idea omnis boni: in parte bono, cujus participatione omnia sunt bona: id est, tum hominem esse beatum, cum ad illius separati boni cognitionem pervenerit. At hic philosophus quod intelligit de divina Idea, Aristoteles interpretatus est calumniosè, ut

sè, ut opinor, de humanis Ideis, sicut aliàs sepe dogma Platonis de Ideis insectatur & exagitat: quod fecerit ne similitate quadam, cum tradatur Platonis præceptoris sui celebritati invidisse: an quòd ratio doctrinæ Platonicæ ab ea, quam ipse sequitur, abhorreere videretur, non ab re dubites. Nunc igitur argumenta quædam Aristotelis contra Platonem videamus, & breves respõsiones adornemus. *i. i. Object.*

Eorum non est cõmunis Idea, in quibus licet accipere prius & posterius. In bonis licet accipere prius & posterius. Nam bonum in substantia prius est, quàm bonum in qualitate: & aliquid est bonum per se: aliquid verò bonum respectu ad alterum. Ergo bonorum non est una communis Idea. *Solutio.* Hoc argumentum valeret, si de bono loqueretur Plato communi atq; universò, secundum prædicationem, quod diceretur de omnibus bonis, & post singula bona esset. At Plato per Boni Ideam hoc non intellexit: Sed primum & summum illud, quod est Deus, à cujus bonitate omnia quæ bona sunt, derivantur. De bono itaq; agit, quod aliorum est causa, cum familiare ei sit Ideam pro causa accipere. Hoc autem bonum idedò cõmune appellat, quòd omnia ab eo sunt, & ipsam sibi expetant. Quocirca propositionem majorem Aristotelis negamus. Nam omnia bona, sive in his

ratio prioris & nobilioris sive posterioris & ignobilioris spectetur, habent unam communem ideam, quæ est & fait ante omnia, Deum. 2. Ut homo in materia, & homo separatus à materia, non differunt, quia homo, quia habent eandem essentiam, rationem & definitionem hominis: Sic bonum separatum non est alterius rationis in bonitate, quam particulare bonum. Sed particulare bonum de Platonis sententia non est per se bonum. Ergo nec bonum separatum per se bonum est. Resp. Nego maiorem prop. in qua est Elenchus comparationis. In priore enim parte res sumuntur finitæ: In posteriore una infinita, altera finita, quæ disjunctæ naturæ sunt, & genere differunt. Bonum separatum, id est Deus, est absolutissimum, æternum & increatum. Est ipsa bonitas. Reliqua sunt & dicuntur bona *magis* & accidentaliter. Vides igitur dissimilitudinem *eu-477*. Seu: Quibus eadem definitio rectè attribuitur, ea inter se differre nequeunt. Sed ille per se homo eò quod seu quæ homo est, non potest aliter defini quàm homo quilibet. Est igitur re ipsa idem homo uterq;. Similiter & ipsum per se bonum, eò quod bonum est, eadem ratione definitur qua quodvis bonum. Aliud est di-
vina Idea ho- Nihil igitur inter utrumq; intererit: & ita vana est idea Platonica. Resp. Nego assumptio-

nem

nem : Nam αὐτὸ ἀγαθὸν ipsum bonum, αὐτοάν-
 δρατὸ ipse homo, αὐτοὺν ipsum ens & ἀγαθὸν
 bonum, ἀνδρατὸ homo, οὗ ens differunt, ut
 simplex natura & composita, ut expers mate-
 riæ essentia & materiata, ut res per se bona &
 cum bono communicans, ut exemplar seu ar-
 chetypus & imago hujus, ut fons & rivulus,
 ut Sol & radius seu lux à sole propagata. Pla-
 toni ipse homo, ipsum bonum, ipsum Ens est
 Deus. Species enim rerum omnium in Deo
 ponebat, ipsamq; Dei sapientiam αὐθυπόστατον
 omnes ideas complexam esse volebat, quas,
 cum causæ essent ante res omnes conditas in
 Deo sempiternæ, iccirco sibi nomen Boni
 magis vindicare confirmabat. Ita Deus est om-
 nia : & est Idea boni, id est, perfectissimum
 & excellentissimum bonum. Ad summam :
 Nego Bonum separatum Deum, (quem Pla-
 to intelligit) non esse alterius rationis & de-
 finitionis quàm particulare, ut creatum, bo-
 num. Itaq; etsi particulare bonum non sit per
 se & absolutè bonū in gradu summo, sed per
 participationem, tamen separatum bonum
 αὐτοαγαθὸν est, seu per se & simpliciter bonum
 est : natura ipsa per se, simplex, sincera, nulli
 mutationi obnoxia est. Hoc bonum intelligit
 Plato, cùm sit in Phædone : Anima dissoluta
 ea copulatione quæ ei intercedit cum cor-
 pore ad primariam illam Ideam, id est Deum.

S 5

evolat.

minis: aliud
 homo ex
 materia &
 forma cō-
 positus.

3. *Object.* *evolat.* 3. Bonum per se non est communis Idea omnium bonorum, quia quædam bona sunt expetibilia per se, ut voluptas & virtus; quædam tantum alterius gratia, ut bona utilia. Bonum separatum Platoni est per se bonum. Ergo bonum separatum non est communis Idea boni. & ad assumptionis probationem.

Solut. Voluptas & virtus non sunt bona expetibilia per se, ita ut Bonum separatum, id est Deus. Deus enim est bonum per se, in summo gradu, seu supremum bonum, quod non est ab alio. Virtus vero, sanitas & voluptas sunt bona quæ per se expeti possunt, respectu inferiorum bonorum, quæ propter voluptatem, sanitatem vel virtutem expetuntur: ut pharmaca, cibi. Aristoteles igitur committit Elenchum homonymias, accipiens aliter per se, quam Plato. Aristoteli honores & voluptates quædam, item videre, sapere, sunt bona per se, id est, natura sua, quia expetuntur natura sua, etiam si offeruntur nobis absque commo alio. Nec tamen sunt ita per se bona, sicut Plato accipit, nempe ut sint ex se ipsis, neque pendeant ab alio, neque ab aliis orientur, neque

Object. etiam possint aliud referri. Ultima: Summum bonum hominis, quod Idea est omnium bonorum, est in homine, seu possidetur ab homine: alioquin non perficeret eum. Bonum separatum omnino est extra hominem, non est

est hominis opus, non possidetur ab homine.
 Ergo in eo non consistit hominis felicitas.
 Nego assumptionem: Quia Deus ut summum
 hominis bonum est, non simpliciter omni-
 noque extra hominem. Communicat enim
 sese cum homine, dum homo redditur eifi-
 milis cognitione & virtutis optimæ actione.
 Atque hoc bonum, quod in divinæ veluti na-
 turæ participatione quadam (ut Plato & A-
 postolus Petrus loquuntur) consistit, recte Deo
 acceptum feramus, & sola voluntate & studio
 humano nobis vindicare non possumus: ta-
 men in acquisitione & possessione ejus non
 habemus nos ut stipites, & trunci: non agi-
 mus nihil. Ex his omnibus nemini argumen-
 tationum Aristotelis inanitas obscura esse
 potest: indidemque intelligis Platonem non
 loqui de Logica, sed Metaphysica Idea. Itaque
 sicum Camerario diceres, Aristotelem cal-
 lidè hic imponere lectori verborum præsti-
 giis, fortasse non multum errares. Non pos-
 sum, quia huc ascribam, auctarii loco, Eu-
 stratii judicium: Videris, ô Aristoteles, ma-
 gistro usus Platone & amico, de industria
 hoc pacto inquirere in dogma Idearum pa-
 lam fallaces conclusiunculas texens, ut cum
 nihil firmum contra illud commemoretur,
 magis jam stabiliiri quam everti hæc opinio
 vidgatur.

Sino

Solus
 Fruens Deo
 beatus est
 Platon: D.
 Augustian
 testa

XIX.

Sitne eadem doctrina de Summo Bono seu Felicitate Platonis & Aristotelis?

Negatur.

ALITER docuiss Platonē de Beatitudine hominis quā Aristotelē, qui negat, prorsus hospes sit in horum philosophorum scriptis necesse est. Plato enim de celesti: Aristoteles verò de terrena felicitate agit. Plato deducit felicitatem seu *μακαριότητα* ab uno Deo. At Aristot. asserit beatitatem nō pendere à Deo: Idem tribuit homini felicitatem huius duntaxat vitæ, seu putat hominem esse felicem, dum animo cum corpore conjuncto secundum optimam virtutem operatur, nullum interim verbum faciens de felicitate vel miseria *σευτέμβη* alterius vitæ. At Plato non acquiescēs in hac beatitudinis umbra seu imperfecta felicitate præsentis vitæ, *εὐλόγως* animæ à corpore secretæ felicitatem assignat. Considerat enim hoc etiā atq; etiam: Quantamcunq; homo consequatur in hac vita divinorum cognitionem cum vera voluptate conjunctam: In mente nihilominus nostram multas in hære dabitaciones, & voluptatem nostram non esse omninò sinceram puramque, sed cum sollicitudine & dolore mistam, In contemplatione igitur Dei in hac vita, quæ voluptate

voluptatem internam comitem habet, neque sufficiens neq; perfectum bonum est, nec simpliciter beatitudo, quippe quam oporteat esse bonum *ἰκανὸν & τέλειον*, excludens omnem miseriam & indigentiam, omnes deniq; humani desiderii terminum, ultra quem appetitū & voluntate longius non progrediare. Quare sententia Platonis Aristotelicæ contraria ferè est hæc: Mens hominis optimo suo fine, ad quem condita est, non planè potitur, donec à corpore liberata ad suum revertitur autorem. Hoc Plato significare voluit allegotia Promethæ, de quo scribit, quòd divina Palladis sapientia instructus, ignemq; cœlestem, id est, rationem seu intellectum adeptus, in summo montis vertice, id est, ipsa contemplationis arce constitutus, ob continuum avis rapacissimæ morsum, id est, investigationis stimulum miserrimus omnium judicetur, donec illuc iterum transferatur, unde olim ignem accepit, ut: quemadmodum uno illo superni luminis radio nunc assiduè ad divinorum investigationem exstimulatur: sic tunc pleno lumine & perfecta speculationis claritate splendoreq; impletur. Plato igitur hujus mortalis & caducæ vitæ beatitudinem sentit esse imperfectam: Alterius verò seu futuræ omnibus numeris perfectam cumulatamq;. Quare cum in Epimenide ait: Feri non

non posse arbitror, ut homines in hac vita præter admodum paucos felicitatem assequantur, non intelligit perfectam beatitatem, sed gustum tantum beatitatis. Sentit admodum paucos hunc percipere, nempe qui Deo magis quam sibi ipsi vivunt, seu qui parum commercii habent cum corpore, quia animus à corporeis sensibus & cupiditatibus sejungunt, quæ Mors philosophica est, & Sapientiam propria: Qui à sensibus ad intellectus intima abducti penetrabilia multa etiam sub oculos delata non vident, ut Scaligeri verbis utar: qui & alibi præclare: Hoc non est optimum, in natura diutissime vivere, sed sapientissime. Hominis enim vita non hæc est, sed viæ ad vitam, quæ æterna est.

XX.

Sitne Prudentia an Sapientia Aristoteli summum bonum, & quod Theologo?

ARISTOTELES beatitudinem collocans in operatione secundum virtutem, intelligit optimam & perfectissimam virtutem. Hæc ei in intellectu pratico est prudentia: In intellectu vero contemplante Sapientia. Politica igitur (Politici hominis) felicitas Aristoteli consistit in prudentia, cujus norma reliquæ virtutes diriguntur, *metæ* seu operatione: Felicitas vero theoretica (contem-
plato-

platoris) in Sapientia actione. Per sapientiam autem intelligit non sapientiam illam, quam in honesta prospicientia politiciis viris tribuimus: sicut alii sapientiam in doctrina Ethica accipiunt: sed principiorum indemonstrabiliū & conclusionum demonstratarum notitiam. Hujus notitiæ eximia pars est Dei cognitio. Theorica autem hæc felicitas præstantissima ab eo judicatur: quia ad divinam quam maximè accedit. Theologi ductum sacrarum literarum secuti fecerunt duplicem hominis finem: quorum alter in hac vita potest obtineri: alter verò expectatur, cum hinc solverimus. Hujus vitæ summa, seu externus hominis, dum hîc vivit, finis est, Justificatio per Christum, seu vivificatio & sanctificatio. Alterius verò vitæ, visio Dei perfecta: seu conspectus Dei plena fruitio. Summum enim bonum hujus vitæ, & summum bonum vitæ secuturæ differunt tantum gradibus & perfectione, non essentialiter.

XXI.

De perfecta Felicitate, qua alterius verè beatorum vitæ est commensuratio.

NONNE hoc absurdè dici videtur; *Ideam Boni ad hominem beatum relatam. Seu: Summum hominis bonum in altera vitæ beatorum formaliter esse illustrem, plenam, & sibi*

& sibi sufficientem Dei notionem ac fructu-
nem. Plenam quidem: quia possessorem im-
plet: ipsa se non deplet. Illustrem: quia luc-
veræ illi eum similem facit. Sibi sufficientem:
quia ab eo, qui est omnia, secum habet om-
nium rerum præsentē supellectilem: Hanc
neq; fieri per species: neque suggeri per prin-
cipia nobis connaturalia, neque sese insinua-
re per opera, neq; subire per disciplinam, sed
præsentia visionis beare cives illius Reip: cu-
jus est ipse Sol sine occasu, & sine ortu: per-
petuitas sine momentis: præsentia sine lapsu:
satis factus sine fastidio: desiderium sine defectu:
triumphus sine bello: lætitia sine gestu: scientia
sine disciplina: finis & principium, utroque
carens, neutrius egens, utriusque parens atq;
autor. Ibi participatio sine invidia, &c. Ver-
ba sunt Scalig. exer. 356. sect. 10. de Sapiencia
creata.

XXII.

Felicitas sine finis cui, an cuius?

VIDEO non doceri à Philosophis & Lo-
gicis ad eundem prorsus modum deli-
stinctione Finis Cui, & Cujus, sumpta ex
Aristotele. Id occasionem mihi dedit, ut de
hac ipsa, & speciatim de Felicitate seu summo
bono diligentius cogitarem, sitne finis, an
finis. Jacobus Schegklius statuit alicubi fi-
nem

In Physic.

nem unum & eundem esse & finem $\bar{\zeta}$. & finem
 $\bar{\zeta}$. ac dici Cujus, quatenus inferiores eum re-
 spiciunt: Cui (seu, ut Schegkio loquitur, in
 Quo) quatenus subiectum; in quo est, perficitur.
 Ita Schegkio Felicitas seu summum bonum, ut
 extremus finis, qui inferioribus videtur
 omnibus, & cui parent reliqui fines, & ad
 quem referuntur, est Finis Cui & Cujus simul,
 diversa ratione. Cujus quidem, quatenus inferiores
 fines ad illum referuntur ac diriguntur.
 Cui verò, quatenus subiectum, nempe
 hominem, perficit. Idem tamen in Ethicis Finem
 Cujus esse dicit operis (id est, operationis)
 effectum, qui motionem perficit: ut, cultura
 vineæ est finis Cujus fossionis, quæ fit li-
 gone: Finem verò Cui, actionem & *ἐπέπρασεν*,
 quæ non motum, sed subiectum perficit: ut
 sunt audire, videre, intelligere. Schegkio igitur
 aliquando unus idemq; finis est finis Cuius,
 & cui, aliquando non unus, sed alter ab altero
 differt. Ego sententiam Aristotelis de fine Cujus & Cui,
 statuo esse hanc: Finis cuius est ille finis, cuius
 gratia agit: seu est id, ad quod res refertur.
 Finis cui, est cui agit, seu est id cui bono est finis
 cuius. Exempli causa: Acquirere volo ego Medicum
 sanitatem, cuius gratia adhibeo medicamenta.
 Sanitas igitur finis Cujus est medicæ artis seu
 Medici. Tibi autem agrototo volo hunc finem,
 id est, sanitatem,

Finis
 Schegkio
 est perfectio rerum
 subiectarum.

T
 tem,

tem, acquirere, vel restituere. Tu igitur & gro-
 tus es finis cui. Finis cuius à me fit. Finis cui à
 me non fit, sed jam antè est. Sutoris finis Cu-
 jus calceus est. Finis cui est homo cui calceus
 fit. Finis Cujus agricolæ est agricultura. Finis
 cui est is cuius ager est, id est, Dominus. Ge-
 nerantis facultatis finis cuius est Dei æterni
 assimilatio, seu perpetuitas, quam cum natu-
 ra absolute nō possit habere, generando tan-
 tum idem specie sibi illam vendicat. Finis cui
 est ipsum vivens seu animatum jam antè ge-
 neratum, quod perpetuitatem & conserva-
 tionem sui appetit. Naturæ finis Cujus in
 plantis est, ut fructus aut flores producat. Fi-
 nis cui est hominum vel bestiarum usus. Fi-
 nis cuius corporis est, ut sit instrumentum ad
 actiones vitæ obeundas accommodatum. Fi-
 nis cui est anima, cui corpus organicum fa-
 ctum, mancipatum & destinatum est. Ædifi-
 cantis finis Cujus est domus: Finis cui Oeco-
 nomus, seu Dominus usus. Domus finis
 cuius est ipse usus, id est, inhabitatio. Finis cui
 dominus. Actionis virtutis Finis Cujus est fe-
 licitas: quia hujus gratia (id est, ut hanc com-
 pareremus) agimus: Finis verò cui sumus nos
 ipsi. Finis cuius ferræ est sectio: Finis cui est
 usurpans ferram. Si quis malleum faciat alicui
 artificis, finis cuius est mallei ^{in ferram} aculus.
 Finis cui est ille, cui fit malleus. Ex his conse-
 quitur:

quatur: Finis
 quæ ad
 bono futur
 tem esse Act
 legatur non
 sibus & q
 hilib. a Ph
 quasi nostr
 modo finis
 notionis
 causa om
 mittitur &
 tiam & e
 derunt.
 alter qu
 quæ se
 nitas, qu
 ter in qu
 Nam h
 mus. N
 non vel
 nitas est
 Ita ver
 est: Ali
 admod
 est. Ali
 cui unia
 que pro
 quitur:

quitur: Finem Cujus propositum esse ut ac-
 quirendum: Finem cui, ut perficiendum &
 bono futurum ei, cui acquiritur. Hanc men-
 tem esse Arist. & non aliam de fine § & φ, col-
 ligitur non tantum exemplis ejus: item q; ca-
 sibus § & φ, cujus & cui: sed & ex his ipsius ver-
 bis lib. 2. Phys. context. 24. Utimur artificiosis,
 quasi nostra omnia sint: Nam & nos quodam
 modo finis sumus, id est, nobis extremum
 motionis comparatur: nos sumus quorum
 causa omnia sunt & fiunt. Adde, quod The-
 mistius & Simplicius e veteribus hanc senten-
 tiam & explicationem manifeste nobis tradi-
 derunt. Simplicii locus est in 2. Phys. Finium
 alter quidem ut Id, cujus gratia est appetitus,
 quem scopum recentiores appellant: seu sa-
 nitas, quam Medici propositam habet. Al-
 ter in quo hoc est, & cui advenit: seu sanus.
 Nam hic est finis velut is, cui, qui etiam nos lu-
 mus. Nam finis Medici est is qui sanandus est,
 non velut is, quem propositum habet, seu sa-
 nitas est: sed velut id, cui vult ipsam acquirere.
 Ita vero Themistius: Id, cujus gratia duplex
 est: Aliud quidem, cujus: aliud autem cui, quem
 admodum in E: hic geminus finis esse dictus
 est. Alius velut id, cujus, ut felicitas: Alius, ut
 cui unusquisq; sibi met ipsi. Felicitatem nam-
 que propter seipsam expetit: utq; sibi eam ac-
 quirat: quemadmodum & in Medica arte

2. de Ani-
 ma.

Hic pro-
 pter sei-
 psam nos

T 2 Cujus

ra est finis
cujus: Sibi,
finis cui.

Cujus quidem sanitas est: Cui verò laborans.
E recentioribus idem sentiunt F. Crellius, &
Toletus. Hic enim in lib. 2. de anima, context.
35. Finis, inquit. Cujus est id, in quod res ulti-
mo ordinatur: ut, Finis cuius hominis est vi-
sio Dei. Finis cui est id, in cuius utilitate est finis
cujus, ut ipse homo. Organici corporis finis
cujus, est operatio animæ. Finis cui ipsa ani-
ma quæ per organa operatur. Et finis fabricæ
organorum Cujus est anima. Finis Cui est ip-
sum vivens perpetuationis sui appetens. In
eo tamen dissentit à Crellio Toletus, quòd
finem Cujus definita, ut definitio tantum
conveniat ultimo, seu supremo, seu extremo
fini. Finis enim Cujus potest esse duplex: Su-
premus & inferior. Exempli causa: Christia-
nus homo geminum habet finem: Cujus, &
Cui. Finis cuius ultimus est Gloria, qua homo
Deum affici vult. Finis Cujus inferior seu sub-
ordinatus est salus & vita æterna. Finis Cui ul-
timus Deus est: Finis Cui inferior, homo ipse.
Toletus finem Cujus faciens ultimum, infe-
riorem seu medium vocat finem Quo, id est,
id quo consequimur finem gratia cuius. Finis
Quo, inquit, est generatio. Hæc enim obine-
tur perpetuitas speciei. Sed Crellius dubio
procul existimans otiosam & supervacaneam
esse hanc distinctionem, & finem Cujus la-
tius ac generalius accipiens, diceret: Finem
Quo

Quo etiam
proferam d
noem etio
sibi. Pro T
Suspicius
et appetitu
pelant. Qu
reno seu
sispion.
non est na
habet tar
victoria
bellum
to conf
timum
pem su
in se co
anima
utic rep
700 gra
& 25 m
pvan
per P
seu fo
est in
inter
nus g
Ac si u
perum

Quo etiam esse finem Cujus, respectu antegressorum destinatum, eumq; habere rationem efficientis, respectu ultimi finis, ut effecti. Pro Taleto tamen facere videtur, quod Simplicius dicit: Alter finis, ut id cuius gratia est appetitus, quem scopum recentiores appellant. Quid ita, inquis? Quia scopus pro extremo seu principali tantum fine accipitur. Respon. Sit hoc ita; nihilominus Finis Quo non est necessarius. Est enim destinatum, nec habet rationem finis relatus ad scopum: ut, victoria est finis Cujus belli, id est, cuius gratia bellum susceptum. Victoria porro ut destinatio conferente consequimur finem Cujus ultimum, videlicet pacem: Et scopus præcedentem finem non excludit, sed præsupponit, & in se continet: ut perfectum imperfectum: ut anima rationalis sentientem & vegetantem: ut circulus alias figuras planas: ut *καθόλου πρότερον* gradus necessitatis antecedentes *καθ' αὐτὸ* & *κατὰ πάντας*. Finis igitur antecedens scopum etiam Finis Cujus dicitur. Andomarus Taleus per Finem cuius intelligit finem formalem, seu formam finalem. Per finem cui, finem qui est in usu & energia formæ. Formam domus interpretatur finem cuius: Formæ enim domus gratiâ architectus comparavit materiam. At finem Cui usam domus, nempe custodiam rerum & tutelam Domini adversus qualibet

libet injurias. Sed nobis ex sententia Aristotelis uterq; hic finis est Cujus. Forma domus quidem finis Cujus prior tempore: Ipse usus verò finis Cujus posterior, & absolutior, de sententia Philoponi. At finis cui, ut antè diximus, est Ipse Dominus inhabitator. Hactenus ergo exposui mentem Aristotelis de fine Cujus & Cui. Unde patet: Felicitatem esse finem Cujus (non Cui.) Id est illud ipsum quod subiectum, scilicet hominem, perficit, ut sanitas corpus perficit: Ipsa met verò subiectum quod perficitur, ut est Homo, esse Finem cui. Hinc quoq; rem accurate & λογικώτερον, perpendenti liquet: Finem ÷ proprie esse causam, cujus gratia quippiam est: Finem verò ÷ proprie esse subiectum, ad quod aliquid pertinet. Homini obtingit, datur, tribuitur felicitas. Homo igitur subiectum est, ad quod pertinet felicitas, ut adjunctum receptam.

XXIII.

Felicitas sine causa virtutum, an harum effectum?

Distinguitur, seu distinctione affirmatur utrunq;
ARISTOTELES initio libr. i. Ethicorum beatitudinem causam virtutum & honestarum actionum constituit. Cap. verò 10. ejusdem libri à virtute & rectè factis produci felicitatem affirmat. Hæc sunt εὐαριστία. Ac pugna

pugna hæc
 tempor
 culam fra
 magis se
 mus esse ca
 ne agimus
 bonum, q
 conlequan
 ad hanc p
 ctiones.

FELI
 ens
 per
 gaur et
 cessio a
 affirm
 & for
 est, bo
 non a
 est &
 Distin
 tiam &
 nihil a
 essent
 Nihil

pugna hæc, quæ apparet simpliciori, facile componetur, si dicamus: Beatitudinem esse causam finalem civilis facultatis virtutis, & *εὐμαχίας* seu probarum actionum. Has verò illius esse causam effectivam. Ideò enim bene agimus, ut felicitatem tanquam metam & bonum, quod omnium maximè expeditur, consequamur. Intermedium verò iter seu via ad hanc perducens, sunt laudabiles honestæq; actiones.

XXIII.

An felicitati possit aliquid addi?

Distinguitur.

FELICITATEM esse summum & sufficiens bonum, Ethicorum dogma est: quod per se sit rationi eligibilis, etsi non adjungatur ei aliud bonum. Quomodo igitur accessio aliqua ei fieri possit, (quod 8. cap. 1. Eth. affirmat Aristoteles) à bonis animi, corporis & fortunæ, ut eruditione, forma, *δύναμις*, id est, bona commodaq; senectute, divitiis, &c. non ab re queritur, cum ei, quod summum est & perfectissimum, nihil majus dari possit. Distinguendum igitur hic est inter substantiam & accidens. Felicitati, ut *κατὰ τὴν φύσιν* bono nihil addi potest, quoad perfectionem suam essentialem, non verò quoad accidentalem: Nihil addi potest summo alicui ut felicitati,

T 4

extra

extra suam genus: alioqui enim non esset summum: sed ultra illud esset aliquod aliud bonum, propter quod expeteretur. At interim nihil vetat, quò minus in ipso genere felicitatis esse possit una et à felicitate major & illustrior, ideoque optabilior, & magis expetenda. Major autem & minor felicitas in eadem ratione & essentia consentiunt, id est, non sunt *επεξ ειδει*, non differunt specie, sed gradibus, quod est, accidentaliter. Ac ut omnia alba in ratione (communi) candoris conveniunt, quod tamen non impedit, quin alius candor sit alio purior & melior: Sic omnium beatorum beatitudo formâ & *αγαθη* beatitudinis consentiunt, etsi hujus beatitudo illius beatitudine sit major & florentior, celebrior & ornatior, ideoque plenius appetitum satiet. Ex his intellige felicitatem essentialiter in bonis externis: ut divitiis, pulchritudine corporis, honore, principatu, nobilitate generis, bona sobole, bonis amicis, non consistere, sed hæc tantum ad eam requiri ut adminicula, instrumenta & ornamenta. Ita, & non aliter, accipio Aristotelem.

XXV.

An primum virtutis internum, felicitas politica
requirat bona externa: ut amicos, *επι-
τηναια*, pecunias.

VIDE:

VIDETUR, inquit Aristoteles lib. 1. Ethic. felicitas bonis externis indigere. Non enim fieri potest, aut non facile est, ut honesta exquiratur, nisi alicunde suppedietur. Sed absurdum videtur felicitatem, quæ bonum est *ἡμῶν* est, indigere bonis inferioribus, ut valetudine & opibus, quæ bona sunt *ἄλλοῦ ἡμῶν*, id est, quæ in potestate nostra non habemus. Resp. per se & sua natura externis bonis felicitas opus non habet: hæc ad naturam felicitatis tantum accedunt. Si per se illa his indigeret, nihil posset esse felix, nisi his abundaret: quod concedendum non est, cum Deus & angeli sine horum subsidio sint beati. Requirit ergo nostra felicitas bona externa (ut instrumenta & adminicula) vel ornamenta ob materiam subjectam seu objectum nostrarum actionum bonarum. Hæ enim circa quædam versantur, quæ absq; externis bonis præstari non possunt: item ob materiam, in qua noster animus est, nimirum ob corpus, ad quod fovendum externa quædam bona exiguntur. Itaque privatio bonorum externorum non nihil coinquinat, & obscurat civilem felicitatem, non aufert: ut qui his earent, non quidem miseri sint, sed perfectè beati haberi non possunt. Ergo, instas, ad essentiam beatitudinis politicæ pertinent externa bona? Respondeo, id non sequi, sicut fabrilis ars

Object.

Solutio.

T § necessitas

necessariò quidem exigit vires, malleos, incudem, & absq; his nihil à fabro ex arte sua potest fieri. Sed tamen inde non conficitur, artem fabrilem esse malleos, incudem, vires.

XXVI.

An Beatitudo & Deus non sint bonum laudabile?

DEUM & beatitudinem Philosophus, i. Ethicorum, non procul à fine, *ἐπὶ αὐτῶν*, id est, laudabilia, esse negat hoc argumento: Laudantur quæ ad aliud quiddam referuntur. Deus & *μακροτέρως* non referuntur aliò (ut virtus) quia sunt summum bonum. Ergo non laudantur. Itaq; illorum celebratio ad honorem pertinet, non ad laudem. Item: In his quæ laudantur, requiritur melius quo perficiantur. Deus nihil potest habere se melius, quo perficiatur. Ergo non laudatur, sed virtus, quæ perficitur actionibus. Sentit igitur Aristoteles, in Deum & felicitatem cadere aliquid dignius laude, seu extolli debere hæc optima bona dignioribus titulis: nempe quòd sint bona *μῆλα*, id est, honore celebranda. Sed etsi Deorum laudes ridiculæ videantur Aristoteli: distinctione tamen uti possumus, cujus ratione laus Deo rectè tribuitur. Potest enim dupliciter intelligi aliquid esse laudabile: Primo modo: quia destinatur ad majus bonum. Sic laudamus justum propter

opera

opera iusta, quæ facit. Hoc modo proprie Deus non laudatur, quia est absolute bonum, seu optimum & perfectissimum, *αὐτοτελές*, non relatum ad aliud superius. Secundo modo: quia aliquod bonum perficiens laudantem provenit laudanti à laudato. Hec secundo modo non est deridendum, Deum laudare: Divinæ enim laudes dedicatæ & institutæ sunt propter bona, quæ nobis à Deo tributa sunt, & quæ in dies singulos ab eo expectamus. Præterea Deus idè dici potest non esse capax laudis nostræ, quia *κατ' ἀξίαν* pro dignitate & satis pro meritis laudari non potest, & omnia nostra, seu quæ à nobis proficisci possunt, longissimè excedit. De humana tamen felicitate, non dixerim eam tam exitium bonum esse, ut aliò, nimirum ad Deum referri non debeat. Imò hoc asserere impium fuerit: Et si verum sit, felicitatem, de qua Aristoteles disputat, non referri ad alia humana bona, quæ sint superlora, cum ipsa Aristoteli supremum bonum sit in hoc genere. Ad extremum: Chrysostomus Javellus distinguit etiam aliter, nempe ita, ut dicat: Deum ut efficientem causam consideratum, esse laudabilem secundo modo: Consideratum verò ut finem esse honorabilem. Sed meo iudicio (si quod est,) sive Deus ut *πρώτη ἀρχή* & esse & or, sive ut finis omnium bonorum consideretur, est bonum

bonum τιμιον, imò absolute & maxime honorabile. Entimverò si Deus non esset causa efficiens, etiam non esset finis omnium.

XXVII.

An beatitudini laus tribuenda?

Affirmatur.

ARISTOTELES I. Ethicor, cap. ult. sentit εἰκαινον à felicitate removendum, & τιμιον, id est, honorem ei tribuendum. Sed contra hanc sententiam fas est ita arguere: Si laus non est inferior Dei majestate; quanto minus hominis beatitatem laus dedecabit. Verum primum. Verum igitur & secundum. Ass. probatur ex ipso Aristotele, qui in Rhet. inquit: Συμβαίνει καὶ χάρις σουδὴς καὶ μετὰ σουδὴς εἰκαινεῖν πολλὰ καὶ μόνον ἀνθρώπων, ἢ θεῶν, ἀλλὰ καὶ ἀφύχα, &c. Hic laus Deo tribuitur, quod & Quintilianus lib. 9. cap. 3. est secutus. Et multi Psalmi sunt εἰκαινετικοί, id est, in laude Dei consumuntur. Laus igitur seu εἰκαινεσι nō tantum de bonis comparatis & inferioribus, sed etiam de absolutis & summis dicitur. Quid, quod τιμιον honor, etiam utriq; horum generi attribuitur? Nam idem Arist. in Rhet. Τιμιοντι ὁ δικαίως, μὲ καὶ μάλα οἱ ἐνεργητικοί, ἢ μὲν ἀλλὰ τιμῶν καὶ ὁ δυνάμενος ἀεργεῖν. Quare quidam judicant, in hac I. Eth. Aristotelem subtiliter arguari.

An

XXVIII.

*An felicitas summum bonum propter seipsam
tantum desideretur?*

AN felicitatem propter se, non propter aliud: an sua ipsorum gratiâ homines expetant, quaeritur. Pilius affirmat Aristot. lib. i. cap. 7. Sed quis tam cœcus est, qui non videat, posterius etiâ rectè dici? Nemo enim felicitatem persequitur, nisi propter seipsum, nempe ut per illam sit felix, & quavis optimè habeat. Distinguendum igitur inter finem Cujus, & finem Cui. Felicitas propter seipsam expetitur ut finis δ , id est, cuius. Actiones enim antecedentes & fines conferentes huc diriguntur, ut ad extremum: Felicitas verò propter nos ipsos expetitur, qui sic sumus finis δ , cui. Sic felicitas non erit extremum τέλος, sed usus hujus, nostri perfectio. Quid? quòd ascendimus etiâ altius, ut summus simpliciter finis Cui seu τέλος σκοπιμώτατον sit Deus. Huic enim omnia nostra bona & felicitatem ipsam velle debemus.

Dei gloriæ
extremus
finis hominū
nis.

XXIX.

*An electio sit δ τέλος. (id est: an finis eligatur)
& finis puerorum?*

Distinguitur.

ARISTO-

ARISTOTELES 3. Ethicorum cap. 2. Voluntatem statuit esse potius finis: Electionem verò eorum, quæ ad finem pertinent: & quidem pueros hujus participes nō esse. Utrunq; cum aliqua difficultate conjunctum videtur. Primum enim si electio est rationis capacium: & pueri sunt rationis capaces: iccirco pueri eligunt. Deinde quis nescit, sæpè esse electionem mediorem finium? ut, Herculi in bivio constituto proponitur via virtutis aut voluptatis eligenda: adolescentibus sæpè proponitur à parentibus optio humaniorum literarum aut artis militaris. Hic deligunt sibi vitæ genus quod magis adlubescit, & media, quæ in iis sunt meliora. Ad primum argumentum respondeo dupliciter: primum distinctione electionis duplicis: Quædam enim est communis, qua sensus ductu una res anteponitur alteri, aut præ altera vitatur. Hoc electionis genere pueri non sunt destituti, ut nec bruta. Præferunt enim lusum lufui, salubre noxio, cibos cibis, potum potui. Quædam electio est propria, quam præcedit consilium, seu quæ rationis judicio dirigitur. Hoc genus electionis non habent pueri, ut nec bruta: quia ratione non ducuntur. Deinde resp. ad propositionem: Rationis capaces, seu ratione præditi eligunt, quatenus utuntur ratione. Pueri igitur cum per

Object.

soluz.

per ætatem rationis usu destituantur (cerebrum enim in iis nimis laxum & humidum est) destituantur quoque electione. Sic ad id quoque licet ratione polleant: in repentinis tamen animi motibus & affectibus non eligunt, non agunt *ἐν παρορμητικῶς*, quia impeditur consilium iudiciumque, & rationis consultatio perturbationis (ut iræ) vehementiâ. Distingue igitur inter *δύναμιν* seu actum primum, & *ἔργον* seu actum secundum rationis. Ad secundum, responsio vera & simplex hæc est. Electio in finibus mediis non habet locum, quæ sunt fines, sed quæ sunt media ad felicitatem. Vulgus tamen etiam finem se eligere dicit. Ideo Aristoteles utitur particula eligendi seu comparandi, potius. Electio potius est eorum, quæ ad finem sunt.

XXX.

An omnino & semper libera sit voluntas in externis actionibus?

Negatur.

VOLUNTATEM hominis liberam per se & secundum essentiam esse firmiter statuendum est: Omnis itaque actus voluntatis liber est hac ratione, qua est non coactus, sed *ἐκ βούλησιν*, non quod illum primo eliciat voluntas simpliciter & sine adiectione considerata, id est, quatenus est potentia, sed quatenus

tenuis est prædita habitu vel acquisito vel infuso, aut propter vitiositatem illam quam peccatum originis dicunt nobiscum nato. Sed sæpè magis ad malum quàm ad verè bonum fertur voluntas (et si malum sub ratione boni velit:) ita serva est per accidens, quod *votum* potentia non perimit. Itaque & rectè dicitur vitiositate naturæ corrumpi voluntatem nostram, non verò essentiam ejus periri & aboleri. Præterea initio quidem (ante habitus acquisitionem) liberæ sunt nostræ voluntates, quod ad delectum boni & mali attinet, sed progressu ætatis, longa consuetudine (quæ altera natura est) & crebris actionibus devincuntur & mancipantur habitibus moribusque, & *ed* imbuuntur ita, ut postea liberum non sit, utrum vellis agere, sed in potestate sis acquisiti moris. Hinc fit, ut incontinentium ebriorumque voluntas crebritate actionum se ipsam mancipet: & nihilominus etiam tum dicitur quis agere *voluntarius*, id est, voluntariè, quia quisque sui moris voluntarius est faber.

XXXI.

An verum sit: Mores sive bonos sive malos, judicari magis electione, quàm actione?

Distinguitur.

ARISTOTELES 3. Ethic. cap. 2. affirmat, mores magis ex electione quàm ex actionibus

nibus cognosci. Id hoc argumento in dubium vocari potest: Actiones sunt evidentiores, ut actio fortitudinis aliorum oculis subicitur. Electio verò sive boni sive mali interior est, nec ita patet sensui: Ergo mores boni sunt an mali, magis judicantur hominum actionibus, quàm electione. Sed responde-
 ri potest dupliciter per distinctionem: Primum distinguendum inter iudicium sensus, quod est incertius: & rationis, quod est firmitus & certius. Actiones ex virtute eò laudantur, quòd ex electione fiant: Ergo & mores. Mores quidem ex actionibus cognoscuntur, ut arbor ex fructu: sed cognitio arboris ex fructu certior est: Cognitio seu iudicium morum ex actionibus potest fallere. Id ostendunt hypocritæ, qui externis actionibus sæpè decipiunt simpliciores in primis: Imò aliquando nullum esse morum ex actionibus iudicium hinc patet, quòd interdum quispiam nihil agat. Deinde dicendum est: de moribus iudicari per actiones à posteriori, seu signo, seu effecto, sed ex electione iudicium esse à priori, seu causa.

Object.

Solutio.

XXXII.

An appetitus natura & noster aliquando

sit inanis?

Distinguitur.

V

Cum

pis & mulis natura suo fine omninò frustra-
 tur. Itaq; assumptio non est simpliciter dan-
 da. Talpæ enim prodest ut habeat *πεπιρωμέ-*
νους imperfectos (intra palpebras clausos) ocu-
 los, quia victura est in terra interiore, quam
 perpetuò fodit, ubi oculorum nullus usus,
 qui etiam ibi aperti pulvere læderentur: vel
 dati sunt oculi talpæ imperfecti ad fugiendū
 quod visui & vitæ ejus nocet: seu ut occurren-
 tem fortè lucem ipsi perniciosam, cum supra
 terram est, cum patris, nativis, salutaribus la-
 tebris commutet illico, ut ait Scaliger. Se-
 cundò Aristoteles in 1. magnorum Ethico-
 rum, & in 3. Nicomach. ait: *ἡ βούλησις* potest ef-
 fe *ἀδυνατόν*: Voluntas est quandoque eorum
 quæ fieri nequeant. Quoties enim cupimus
 quæ nullo modo fieri possunt? Quàm multi
 sunt, qui exoptant sibi loculos Fortunati, aut
 Gygis annulum? Ergo appetitus noster sæpè
 est vanus. Respondeo per distinctionem *ἑπέ-*
ξῆσις seu appetitus. Alius est non directus ra-
 tione, seu destitutus ratione & electione. Hic
 quia imperfectus & vergus est, fertur sæpè ad
 ea quæ fieri non possunt. De hoc igitur con-
 cedo totum, id est, talis appetitus verè est in-
 anis. Alius est conjunctus cum recta ratione
 & electione: is nihil potest velle, nisi quod
 intellectus intelligit, nec frustratur suo fine:
 Quia nemo cum ratione deligit, quæ fieri
 neque-

2. Object.

Resp.

V 2

neque-

CUM appetitio interdū excidat sine suo, & possimus velle & appetere non entia, & quæ esse non possunt (ut potest aliquis velle se Deum esse) non immeritò queritur, **en** Aristoteles 1. Ethic. cap. 2. rectè dixerit, appetitum nō esse inanem. Sic igitur argumentor primò: Si appetitus aliquando, & quidem sæpè, non potest suam finem consequi, non potest dici in universam, vanam eum non esse & inanem. Sed primum. Secundum igitur. Assumptum probatur inductione exemplorum. 1. Lapidēs propensionem quidem habent ad casum deorsum, sed in ædificiis sursum detinentur. 2. Talpæ habent cavum oculorum, quin & ipsos oculos, sed oculos palpebris, quibus nunquam uti possunt: quare natura videtur frustra hæc produxisse. 3. Mulæ uterum habent, cum tamen raro pariunt. Resp. 1. concedo, appetitum naturæ interdum esse inanem propter accidens aliquod. Sic lapides, sic bruta sine suo frustrantur *κατὰ συμβεβηκός*, per accidens, ut impedita ab externa aliqua causa vel materia: quo impedimento sublato sine suo potiuntur. 2. Sic natura postquam delineavit oculos in talpis, debilitate temperamentis & spiritus impediturne possit eos perficere. 3. Sic quòd mulæ raro pariunt, fit propter defectum materiae menstrui sanguinis. 4. Nec tamen in tal-

1. Arg.

Resp.

quæ & malis
ut. Ita
la. Talpæ
imperfecte
las, quia v
perpetuè
queritum i
sunt sine
quod visu
tem forte
uriam e
tebris e
cundò
tura, &
se ad
quæ fr
quæ nu
lant, q
Gygis
est ven
esse se
tione
quia
ea qu
cedo
anis.
& ele
intelle
Quia

p. 13

nequeunt. Intelligendus igitur hic locus Aristotelis, quo dicit: Si omnia propter aliud optaremus, vana esset nostra appetitio: de βουλῆσι seu appetitu rationali, non de ὀτιδιμῆ (cupiditate) aut θυμῷ (ira). Hæc βέλῃσι est ὀφείζεις ματὴ βουλῆς & ἐκ ἀντιβουλεύσεως Aristoteli & Alexandro Aphrodisiensi.

XXXIII.

Patiens injuriam, patiaturne volens, an nolens?

Ex 5. Ethicorum.

Distinguitur.

AD hanc quæstionem explicandam opus est distinctione. Ut facere injustum, seu nocere alteri contingit dupliciter. 1. Per se: ut si quis sciens & prudens seu consulto alium contra voluntatem offendit. 2. Per accidens: ut si quis ex ignorantia alium lædit, nesciens, nec existimans se lædere: Sic pati injustum fit dupliciter. 1. Per se: ut si quis scit se offendi. 2. Per accidens: ut si quis ignorat se lædi, vel cupit satisfacere suæ affectioni, quo fit, ut ipsi noceatur. Talis est incontinens, qui ut ὀτιδιμῆν seu libidinem animi sui expleat, volens patitur, seu permittit se exspoliari à meretricula. Nunc igitur strictim ad quæstionem respondeo: Nullus qui per se patitur injustum, patitur volens. Et nemo patitur injuriam volens, nisi per accidens. Non est

est autem inconveniens, eum qui patitur, per accidens pati volentem. Nam, ut consequatur quod vult, eligit etiam perpeffionē mali.

XXXIIII.

An vis anime rationi obtemperans, ut appetens, rectē dicatur rationalis: & an in anima hominis sit ἀλογον?

Negatur.

ARISTOTELES i. Eth. rationalem animi facultatem duas in partes dividit, nempe in imperantem & obsequentē, & appetitū sensuum obsequenti subjicit. Sed certum est, id quod dicitur per se expers esse rationis impropriē dici rationale ex eo, quod rationi obedit, ac infirmum esse argumentū. Hoc sequitur ἡγεμονικὸν seu rationis imperium, consilium, auctoritatem. Ergo est rationale. Nam neq; canis, quamvis ad nutum Domini sui se accommodet, neq; equus, quamvis frenis & calcaribus sui fessoris pateat, rationalis dicitur. Idem Aristoteles in Ethicis affectus ait esse ἐν τῇ ἀλόγῳ animæ. Sed nulla, inquit Julius Scaliger, viger apud me ratio, quæ mihi persuadeat animam nostram substantiam immaterialem esse compositam ex duobus actu contrariis, λογικῇ ἢ ἀλόγῳ. Si igitur, objiciat aliquis, nihil in anima nostra est, quod caret ratione, unde tot existunt peccata.

V 3

cata.

cata, errores, culpæ? Respondet Scalig. Anima implicita corpori per hujus administras partes recipit impressiones: Fit ergo tum talis, quales illæ sunt. Ita in tenebris pavitant melancholici, quia spiritus atri fiunt, non anima. Fit igitur interdum anima alia à seipſa, sed accidente, non substantiâ.

XXXV.

An appetitus sensitivus seu vis cupiens & irascens sit rationalis per participationem?

Affirmatur.

ARISTOTELES sicut in anima constituit partem rationalem per essentiã, nempe intellectum & voluntatem: Et partem rationalem per participationem, nempe appetitum sensitivum: Sic duplicem hinc facit virtutem: Intelligentiæ & Moris. Sed quomodo appetitus *αιδητικός* participativè sit rationalis, non ab re quæritur, cum non habeat cognitionem *λογικὴν*. Tenendum igitur dici rationalem per participationem, quia potest non repugnare rationi ducti: potest operari ut ratio dicat: potest per naturã suam obedire rationi, ut filius patri, potest dirigi ratione ut regulã aliqua. Ideoque similiter rationi operari videtur. Ac ne facultas hæc à ratione regi potest: Sic actiones ejus sunt spontaneæ & voluntariæ *αὐτὸς*: Quia possunt coerceri, & exercitio reprimi aut relaxari.

Utrum

XXXVI.

Utrum incontinens agat ignorans an imprudens?

Posteriorius affirmatur.

ARISTOTELES 7. Eth. disputans de Incontinentia, discessionem facit à Platone in persona Socratis dicente, Incontinentem non agere scientem, sed ignorantem. Argumentum Aristotelis sumtum est ab experientiz testimonio. Videmus adulteros & ebrios agere quod sciunt esse malum acturpe. Non igitur omnis incontinens est ignorans, sed sciens, etsi secundum scientiam non agat. Socratis verò ratio hæc est: Scientia est fortissimum quiddam in homine. Fortissimum autem à debilliori seu infirmiore non vincitur. Concupiscentia autem est infirmior quàm scientia: Ergò incontinens non est sciens, seu non agit contra scientiam. Verùm animadvertendum est, Platonem seu Socratem, cum dicit, incontinentem non esse scientem, non accipere scientem absolutè, sed pro prudente. Sic Plato, de leg. imprudentiam appellat ignorantiam, prudentiam verò scientiam non quamcunque, sed διακριτικὴν ἀγαθῶ καὶ κακῶ, id est, discernentem bonum & malum. Incontinens igitur non est prudens, quia non vivit ex rectæ rationis præscripto: non agit, quod hæc dicit, sed ab ea exorbitas

V 4 appe-

appetitum ut gubernatorem & magistrū vel monitorem sequitur. At inquit fortasse: Incontinenens propriè dicitur non sciens agere hoc sensu, quòd depravatam & corruptum iudicium habeat. Respon. Id negandum est. Convenit enim intemperanti non incontinenti. Intemperans corrupto iudicio est præditus: existimat enim voluptates ipsas immoderatas esse persequendas. Incontines verò integro & sano quodammodo (quā minus libero) præditus est iudicio. Scit enim voluptates istas non esse persequendas, & tamen à vehementi cupiditate vincitur. Sciens igitur est habitu, non actu, & ejus scientia est ligata, non soluta, penè ut in dormiente vel ebrio: Hic ut non agit secundum scientiam, sed agitur calore vini: sic *ἀκρατής* incontinentens non agit ex scientia, sed ex motu *πῶδες* vehementis.

Vehemens
πῶδες
ita ligat iudicium & scientiam incontinentis, ut calor vini iudicium ebrii.

XXXVII.

An omnia pravus seu vitiosus operetur ignorans?

ARISTOTELES, distinguens inter agere ignorantē, & ex ignorantia, vult, non omnem quidē malum operari ex ignorantia: sed omnem malum operari ignorantem. Verum posteriùs non ita simpliciter affirmaverim. Omnes quidem mali seu pravi operantur ignorantes *πῶ*, id est, quatenus videntur iudicio esse non satis integro; quia iudicant

dicant aliquid esse bonum, quod bonum vere non est, & aberrant à vero scopo, ac suis cupiditatibus à recti tramite avocantur seu abstrahuntur. At multi etiam mali iudicium conscientie mentis retinent, cum post, tum ante factum vident meliora probantq; deteriora sequuntur: acita sunt ἀναπολόγητοι, id est, inexcusabiles. Non igitur affirmari potest, malos seu vitiosos operari prorsus simpliciterq; ignorantes. Ita igitur accipiendus est Aristoteles, ut ex parte ignorantes esse intelligas. Sic Judæi scientes in Christum & Apostolos nesciebant quid facerent. Pater ignosce illis: ignorant quid agant, ait Servator. Ignorant autem quod scire debuerant. Affectata hæc ignorantia dicitur.

XXXVIII.

An eadem res sit, Honestum & utile?

Negatur.

STOTI istauerunt: idem esse honestum & utile: vel alterum cum altero simpliciter converti, ita ut rectè dicatur: Omne honestum est utile. Et quicquid est utile, est honestum. Credo eos, ut facilius persuaderent animis hominum honestatem, introduxisse utilis hanc & honesti connexionem. Etsi autem verissimum sit, non esse operam dandam rebus utilibus, vel eis utendum, si non possit

V 5

hoc

hoc fieri sine turpitudine & violatione honestatis: tamen ut aliud sunt ipsæ res, aliud usus rerum: sic aliud est honestum, aliud utile. Aliud est per se bonum, aliud propter usum. Deus per se bonus est, etiam si nemo eo bene uteretur. Tum etiam fit homini bonus, cum bene quis eo utitur. Hæc est igitur inter bonum honestum, & bonum utile differentia: illud propter se expeditur, & in nobis est, & magna ex parte ex nobis. Hoc propter aliud, nempe usum: & extra nos est positum. Illo nemo potest malè uti: Hoc verò malus potest malè uti. Vocabula etiã seu nomina discrimen aliquod inter hæc indicant. Honestum enim est, quod dignum est honore: quòd enim Aristoteles alicubi virtuti laudem, non honorem, tribuit, parum moramur. (Sed interpretemur nunc sanè honore dignum, ut sic laude dignum.) Utile verò seu χρησιμὸν ab utendo dictum est, & significat id, cujus usus aliquis esse potest in vita. Postremò differentiam inter Honestum & utile innuit Poëtæ versus: *Justitia utilibus rectum proponere suadet.*

XXXIX.

An virtutes sint Scientiæ?

Negatur.

TRIBUIT Aristoteles Socrati apud Platonem, eum afferuisse, Virtutes esse scientias.

entias. Sed Socratem hoc non sensisse, sic ostendo:

Si virtus est scientia, doceri potest.

At doceri non potest. Ergo non est scientia.

Propositio est in Menone Platonis totidem verbis ferè: *Εἰ δὲ γέδειν ἐπιστήμη τις ἢ ἀρετὴ, διὰ τὸν ὅτι διδάσκτον ἂν εἴη*: Quod si scientia est quædam virtus, clarum est eam esse docibilem. Assumptio est in eodem Dialogo his verbis: *ἀρετὴ ἀπὸ ἐκείνου εἶναι διδάσκτον*: id est: Virtus ergo non fuerit docibilis. Stat igitur conclusio contra Aristotelè falsè ascribentem hoc pronuntiatum Socrati: Virtus est scientia. At inquis: doceri posse virtutem, est in eodem Dialogo. Respondetur. Id equidem non nego: Sed non est sententia ipsius Socratis. Cujus ergo? Protagoræ est Sophistæ, id est, qui se venditabat velut virtutis magister & doctor, ut verbis utar Patritii.

XL.

An vir Ethicus debeat esse ἀπάθης: & an omnes affectus sint per se vitiosi: item an sint opiniones?

Negatur.

TRAHUNTUR Stoicorum tres fuisse errores de affectibus. 1. Quòd sint opiniones. 2. Quòd omnes per se sint vitiosi. 3. Quòd evellendi & extrahendi sint penitus, non circumcidendi, & amputandi, Pri-

mus

mus error sic refellitur, ex Definitione. Affectus sunt motus cordis, quibus persequimur vel fugimus objecta, prout verè vel falsè cogitatio illa commoda vel incommoda ostendit. Ortū igitur habent ex cogitatione & imaginatione. Nec sequitur, affectus oriuntur ex cogitationibus & opinionibus, quæ possunt esse falsæ. Ergo sunt opiniones. Et si enim interdum opinionibus falsis movetur dolor: (ut cum Jacobo Patriarchæ falsè annunciarur mors filii Josephi:) tamen id non fit semper, sed sæpè veræ causæ monstrantur, seu objiciuntur: ut David nimis verè dolet, nunciato verè tragico interitu filii Absolomi. Præterea Cor est sedes affectuum. Opiniones verò sunt in cerebro. Ergo affectus non sunt opiniones; etsi notitiam seu cognitionē, ut opinionem,

Object.

Solutio.

Object.

Cic. 4. Tusc.

sequantur. Nec in contrarium valet quicquam istud: Naturalia sunt uno eodemque modo. Affectus etiam ex iisdem objectis orti non afficiunt similiter omnes, ut hic pulsus in exilium muliebriter flet, ille forti est animo, vel premit altum corde dolore: ille desperabundus est: hic spem vultu simulat. Ergo affectus non sunt naturales, sed puræ imaginaciones. Seu si naturalis amor esset, & amarent omnes, & semper amarent, neque alium pudor, alium cogitatio, alium satieras deterreret. At non posterius. Ergo nec prius.

R. sp.

Resp. Est fallacia à non causa tanquam causa: Solut.
 & propositio major est declaranda. Natura
 seu naturalia agunt uno modo, scilicet in iis-
 dem subjectis: quia, ut veteres Scholastici lo-
 quuntur, Actus agentium sunt in patiente præ-
 dispositi: ut Ignis ex lapide efficit calcem, ex
 ligno carbones vel cinerem. Vinum alios hi-
 lares, alios tristes efficit: alios hebetiores, a-
 lios acutiores, alios loquaces, alios elingues:
 propter dissimile temperamentum seu vari-
 um habitum corporis: sicut est apud Aristo-
 telem in problematis: *Ὅτι τῶν ζῴων
 μένων κερύουται*. Deinde respondeo ad assump-
 tionem. Affectus dissimiliter afficiunt. 1. pro-
 pter diversitatem naturarum & temperamen-
 torum. Phlegmaticus non ita facile accendi-
 tur ira, atq; Cholericus. Cato rigidior & du-
 rior non tam facile movetur atque Cicero. 2.
 quia etsi objecta sunt eadem, tamen cogita-
 tiones de objectis sunt diversæ. 3. quia ma-
 gna vis est assuefactionis & consuetudinis in
 reprimendis affectibus. Tertio igitur respon-
 deo: Affectus ita sunt naturales, ut quodam-
 modo etiam dici voluntarii posse videantur:
 quia regi aliquo modo possunt voluntatis ar-
 bitrio, iudicio ac ratione cohiberi, usuque &
 exercitio relaxari, aut reprimi. Ad extremum,
 affectus non esse meras imaginationes do-
 cent *σοφία ἀποτρέγει τὸν πατέρα ἐκ τῶν υἱῶν*, quæ sunt
 acer-

acerriam. Secundus error sic refellitur: Etsi nonnulli affectus habent adjuncta vitia, & rationi recte adversantur: ut cupiditas adulterii, cædis, rerum alienarum: tamen multi boni sunt natura. Multi etiam mali sunt per accidens ex iudicii errore. Natura boni sunt recte rationi sanoq; iudicio consentanei, ut amor erga virtutes, odiū vel ira adversus peccata. Hi sunt utiles affectus dati nobis ad nos expergefaciendos, id est, ut sint calcaria & incitamenta ad benè vivendum. Hos lege sua exigit Deus. Dedit ad hos organa & humores qui eis inserviant: ut in lætitia laxatur & dilatatur cor, & moderatius effunditur sanguis & spiritus vitalis: In ira flava bilis excitatur. Μετεωράδεια igitur probanda est, ἀπάθεια, id est, vacuitas affectuum contra repudianda: Simpliciter tollendi non sunt affectus, sed secundum quid, id est, respectu violentæ & nimii. Ita simul tertius error concidit. Sed con-

Obiect. tra Stoici. 1. Hæc est natura contrariorum, ut, cum alterum est summum, alterum non patitur secum in subjecto eodem. Virtus est contraria affectui. Ergo Affectus profus tollendi sunt. 2. Perfecta virtus esse non potest, nisi omnia impedimenta penitus sublata fuerint. Affectus sunt virtutum impedimenta: Impedit ira animum, ne possit cernere verum. Ergo tollendi, seu profus excindendi.

ciendendi. 3. Illud proprium est virtutum, ut animum repurgent. Nihil autem in eo repurgandum, nisi affectus. Affectus igitur extirpandi. Respon. ad primum. Nego assumptionem. Virtutes enim non pugnant cum affectu, sed cum ejus extremis. Quare dicendum: affectus corrigi, emendari, frangi, mitigari, non tolli à virtute. Respon. ad secundum. Nego assumptionem. Non enim ipsi affectus, sed excessus vel defectus horum impediunt virtutem. Et admodum languidi & ignavi essemus ad actiones, & quidem honestas; nisi adhiberentur incitamenta affectuum. Sic ira est eos fortitudinis. Respon. ad tertium. Nihil in animo repurgandum præter affectus, scilicet depravatos, immoderatos, violentos, qui similes sunt equo ferocissimo. Non autem omnes sunt tales.

Solurio.

Affectus mortificandi, non occidendi.

Vis irascens animi est adjuvix rationi, ad exequenda salutaria consilia.

XLI.

An in virum Ethicum cadant affectus?

Affirmatur formula declamationis, qua amicus cavet amico ne probeat Stoicam ἀπάθειαν, id est, libertatem ab affectibus.

Narratio: cui annexa propositio bimembris. Cū superioribus aliquot diebus de præceptorū vestrorum in propositis lectionibus progressu percontarer, præter cætera videbar mihi intelligere in Officiorum explanatione

tione ad fortitudinis usque caput peruentum esse. Paulò verò post tuum discessum recordabar, Stoicorum à *πρόδοξαι* ibidem approbati: quæ cum in quenquam omninò hominem nec possit nec debeat cadere, cavendum tibi putavi, ne Ciceronis autoritas isto in loco te auferret, & in Stoicorum errorem abduceret. *Confirmatio prioris partii, quòd nemo ab effectu omninò possit esse liber.* Nam si affectus sunt naturales, nemo prorsus ab illis poterit esse liber.

Assumptio. Sunt verò naturales. Nam ipsi sentimus quotidie quomodo naturaliter ad res suaves amplectendas rapiamur, ab acerbis contra rotamente abhorreamus. Sic ipse Christus ut verus homo gravissimum mortis supplicium exhorruit, quippe quod semel iterumque deprecatus sit, ita tamen ut patris voluntati se submiserit, ut testatur narratio Evangelica.

Complexio. Nemo igitur ab omni prorsus affectu poterit esse liber. *Posterioris partii probatio, quòd nec quisquam debeat esse liber ab omni affectu.* Si ipse Deus quosdam in nobis requirit affectus, nequaquam in universum ab omnibus erimus liberi. Utiq; verò Deus quosdam in nobis requirit: aut frustra affectuum instrumenta in nobis creasset, quòd maximum nefas est dicere, cum divina providentia nihil temerè & sine causa creaverit. Similiter & lege divina jubemur tam proximum quam ipsum Deum diligere.

Complexio. Nemo igitur ab omni prorsus affectu poterit esse liber. *Posterioris partii probatio, quòd nec quisquam debeat esse liber ab omni affectu.* Si ipse Deus quosdam in nobis requirit affectus, nequaquam in universum ab omnibus erimus liberi. Utiq; verò Deus quosdam in nobis requirit: aut frustra affectuum instrumenta in nobis creasset, quòd maximum nefas est dicere, cum divina providentia nihil temerè & sine causa creaverit. Similiter & lege divina jubemur tam proximum quam ipsum Deum diligere.

Adjunxit
Deus volū-
tati affectus
ut satellites
& ministros
ejus, ac no-
sitiarum ex-
ecutores.

Utiq; verò Deus quosdam in nobis requirit: aut frustra affectuum instrumenta in nobis creasset, quòd maximum nefas est dicere, cum divina providentia nihil temerè & sine causa creaverit. Similiter & lege divina jubemur tam proximum quam ipsum Deum diligere.

per. Dilecti
hinc: Di
scipulis, id
erunt, ut tu
lo pecto aff
tum hinc
pas. Ex his
porem im
delimigine
nara suble
tus non v
si de illu
tus pro
quædam
in David
di cum h
quaquam
ne sunt re
sua dispu
mues o
Paulus
inimic
dicunt
affectu
corrupt
& inco
cimur:
niores,
plus no

Nger. Dilectionem verò affectum esse quis
 dubitat? Divus itē Paulus gravissimè damnat
 τὴν ἀστροφίαν, id est, si tam planè sis Stoicus &
 ferreus, ut tuorum nec prosperis nec adversis
 ullo pacto afficiare. Contrarium itaque affe-
 ctum flagitat. σοφὸν δὲ, testem amoris divini er-
 ganos. Ex his facile est colligere, affectus es-
 se partem imaginis divinæ in homine: ideoq;
 Dei imaginem ex homine tollere, qui illos è
 natura sublatos volunt. Imaginem autē suam
 Deus non vult expungi aut induci, sed expo-
 liti & illustrari. Præterea cùm heroici impe-
 tus præcul dubio sint affectus & singularia
 quædam Dei dona (nam unde, quæso, tanta
 in Davide, Josue, Gedione cupiditas pugnan-
 di cum hostibus Dei, quàm à solo Deo?) Ne-
 quaquam omnes omninò affectus ex homi-
 ne sunt tollendi. *Refutatio.* Sed contra fortas-

Object.

Solut.

sis disputet Stoicus aliquis Theologus, om-
 nes omninò affectus vitiosos esse, quòd
 Paulus dicat? Carnis sensum esse mortem &
 inimicitiam adversus Deum. Verè id quidem
 dicitur à Paulo, sed constanter negamus, illos
 affectus, quos nos probamus, carnis, id est,
 corruptæ naturæ sensus esse, sed illius integræ
 & incorruptæ quasi scintillas quasdam esse di-
 cimus: ac statuimus in homine affectus ple-
 niores, puriores & ardentiores futuros, si la-
 psus non fuisset, eosq; Deo vehementer pro-
 bari,

X

bari,

bari, si accedat fiducia, extra quam omnia sunt in vitio. Peroratio repetens propositionem & argumenta confirmationis. Quamobrem, cum constet affectus esse naturales, & à Deo animis infites, & quosdam legi divinæ consentaneos, nec possunt, nec debent in universum omnes ex hominum natura extirpari, quemadmodum Stoici somniant.

XLII.

An laudetur is qui verecundus est?

Object.

ARISTOTELIS 2. Ethic. Verecundiam, etsi virtus non sit, laudabilem tamen asserit, propter medium, quod in ea est. Sed dixeris, affectus neq; laudantur, neq; vituperantur: quis sunt naturales. Verecundia est affectus. Ergo nec laudatur, nec vituperatur. Resp. Propositionem concedo: propter affectus enim nemo dicitur bonus vel malus Ethicè, moraliter & habitualiter, ut propter virtutes & vitia. Conclusionem autè explico. Verecundia non laudatur ut simpliciter affectus est: sed modus ejus: id est, laudatur, cum est medius: vituperatur, cum est extremus.

Solutio.

XLIII.

An vir bonus rectius vocetur metaphora Geometrica quadratus, an rotundus?

Prius affirmatur.

VIR 61-

VIRGILIUS in viro Bono (si modò carmen hoc Virgillii est) virum bonum vocat rotundum. Aristoteles verò ex Simonide & Platone τετραγωνον, id est, quadratum, lib. 1. Eth. cap. 10. & 3. Rhetoricorum: quod magis mihi probatur, cum globus omnium corporum sit maximè volubile, & loco stare rotundum nesciat: ideoque non exprimat naturam boni viri, qui constans est, quod facit cubus corporum firmissimum. Vir bonus igitur quadratus dicitur, quòd nulla fortunæ vi everti possit, sed sibi ipsi semper constet, secum præclare consentiat, & quamcunq; in partem volutatus (id est, quocunq; modo res cadant) habeat firmam basin instar cubi, qui non facile movetur, sed stat firmus, quocunq; modo jaciatur. Est autem cubus figura solida seu corpus sub sex quadratis æqualibus superficiibus instar taxilli seu tesserae comprehensum. Dicitur tamen potest vir bonus rotundus propter æqualitatem, quæ apparet in rotunda figura. Bonus vir amat æquabilitatem, & fugit inæqualitatem, quoad ejus facere potest. Dicitur: si vir bonus est τετραγωνος, id est, perfectus & firmus, non potest mutari & fieri vir malus. At sæpè contrarium experimur. Respon. Quòd vir bonus dicitur quadratus, id est, operari cōstanter & immobili tranquilloq; animò, id intelligendum est κατά σύνεσιν.

X 2 (respe-

Object.

Solut.

(respectivè) id est, per collationem ad illum, qui habitu bonitatis caret. Is est semper varius & inconstans in agendo. Sed ne istud quidem hoc loco prætereundum: Virum bonum quoque & justum, honestum item, seu virtutem, & hujus actionem dici ὁρῶν, id est, **RECTUM** (unde Stoicorum ἡ ἀρετή) metaphora similiter è Geometria sumpta. Ut enim in linea recta: sic & in bono viro & honesto, omnia sunt æqualia. Curvæ lineæ affectiones sunt convexitas & concavitas. Hæc opponuntur inter se ut magnum & parvum, seu potius ut majus & minus. Ut enim inter parvum & magnum, seu majus & minus medium est æquale: Ita inter convexitatem & concavitatem medium est Rectum. Concavitas habet se ut defectus: convexitas ut redundantis. Similiter inter excessum vitiosum, & defectum vitiosum, est medium Virtus seu honestum. Pulcra sunt verba Platonis in Protagora, quæ loco ἐπιτομῆς adjicio. Dicit Simonides Scopæ Creontis filio Thesiali: Difficile esse virum bonum re vera nasci, & manibus & pedibus, & mente quadratum, sine vituperatione factum. Porro lineam curvam, ut quidam è recentioribus vocant pravam. Sic pravus quoque pro malo, & pravitas pro vitio accipitur.

Cur studiosus seu honestus vir à Germanis vocetur et in Viderman.

GERMANI videntur virum bonum honesteq; agentem vocare Viderman/quasi Viderman/utriusq; virum: quod æqualiter ab utroque extremorum, quorum alterum in excessu, alterum in defectu peccat, abfit, & medium tueatur, nec nimium nec parum sequendo: vel certè vocant Viderman sequestrem seu virum æquum & bonum, utriusq; litigantium amicum, qui eos tanquam medius seu mediator & μεσότητος componit & reconciliat. Ex Th. Zuing conjectatione.

XLV.

Honestum & justum constetne lege an natura?

Verumq; affirmatur.

CALLICLES contra Socratem in Gorgia Platonis disputat: justum constare lege & instituto hominum, non natura. Et Aristot. i. Ethicor. videri, ait, honesta & iusta tantum constare νόμο, non φύσει. Quæstio igitur est: An res honestæ, quod dicuntur & sunt, id habeant ex natura, an ex legibus & decretis sapientum & potentum legislatorum. Hic responderetur rectissime: Rerum honestatem & iustitiam à natura ortum habere, legibus

X 3 perfici.

Honesti
initium à
natura,
perfectio
à legibus.

Voluntas
cum hone-
state con-
sentire po-
test: sic lex
cum natu-
ra.
An politi-
cum jus sit
notum na-
tura.

perfecti. Prius νομοθέτης in officiis vitæ sensit ef-
se εὐαρμόσιον τε καὶ πρέπον, æquabilitatem, decen-
tiam, rectitudinem, quàm de illis ferret & san-
ciret leges, quas quidem postea indicavit po-
pulo, cum non omnes tanta sint perspicuitate
præditi, ut quid speciatim justum sit, per se
intelligant. In eo igitur peccat Callicles apud
Platonem, quòd res diversas facit contrarias.
Lex enim & natura minime sunt res contra-
riæ, sed diversæ, imò res subordinatæ. Diversæ
res in eodem esse possunt, ut jucundum & ἁ-
λόν: Contrariæ verò eadem ratione & eodem
tempore non possunt. Quod Aristoteles ait:
Videri, nihil probat. Non enim ex sua, sed ex
aliorum sententia ibi loquitur. Querere hic
placet in transcurso: An justum & honestum sit
natura notum. Videtur sanè. Quia discrimen
honestorum & turpium, quòd natura menti-
bus est insitum, universam ferè justæ & injustæ,
æquæ & iniquæ rationem ut fons complectitur.
Resp. Jus ipsumq; justum, natura notum est,
quoad theses seu generales sententias, seu
prima summaq; principia: non quoad hypo-
theses, seu speciales regulas ac determinatio-
nes probabiles, quæ ad varios vitæ humanæ
casus accommodatæ sunt. Verbi gratia: Quòd
patris defuncti bona omnibus ex eo natis li-
beris sint communia, notum est vel natura.
Sed si post mortem patris nascatur filius, qui
post-

posthumus
no fuit, q
na cum rei
faci fuerunt
liberorum. E
politicum,
legis liberi
a reò nec
arbitrio
noverit:
st, certan
mnes par
libere de
cavula di
Oporre
dum qu
suam leg
Id quod
veritatis
æquabi
tia no
ter pu
cer &
arbitr

posthumus vocatur, & patre adhuc vivo in utero fuit, quaritur quid juris? An videlicet unà cum reliquis liberis, qui moriente patre nati fuerunt, particeps sit bonorum à patre relictorum. Hic consulendam est jus scriptum politicum, quod docet, posthumum cum reliquis liberis æquo hæreditatis jure frui. Quare verò necesse est habere scriptum jus? an non ex arbitrio bonorū rectius dijudicantur controversiæ? Respon. Oportet esse *αριθμητικόν*, id est, certam normam judicii humani, quam omnes pariter sequantur, nedum quisq; quod sibi rectum videtur, statuit, de una & eadem causa dissimiles & diversæ sententiæ ferantur. Oportet igitur esse certum jus scriptū secundum quod omnes judicent, ne, dum quisque suam sequitur opinionem, multis fiat injuria. Id quod hoc argumento probatur. In controversiis dijudicandis uti oportet jure certo & æquabili erga omnes. Privata hominum arbitria non sunt certa & æquabilia, sed mirabiliter pugnant & discrepant, dum alii aliud placent & justum videtur. Ergo privatis hominum arbitriis non sunt dijudicandæ controversiæ.

Cur ex legibus judicandum potius, quam ex bonorum arbitrio.

XLVI.

An omnia virtus sit media inter duos extrema vitia?

Negatur.

X 4

JAVEL-

JAVELLUS docet, virtutes quæ versantur circa *πρόσημα* moderanda, ut sunt fortitudo & temperantia, esse mediocritates inter duo extrema, quorum utrumque sit malicia seu vitium. Sed justitiam esse mediocritatem (nempe æqualitatem) inter injustum facere, quod vitium sit, & injustum pati, quod non sit vitium seu peccatum, sed pœna, tum quod nullus voluntariè patitur sibi fieri injustum, tum quod qui injustum facit, sit vituperabilis, qui autem injustum patitur, non vituperatione, sed auxilio & commiseratione dignus sit. Defectus tamen justitiæ ejusdemque excessus in agente, quia vitiosus est, ut de fraudatio vel impunitas, & rigiditas: iccirco generale axioma: Virtus consistit inter duo extrema vitiosa: defendi potest.

XLVII.

An virtus sit medium inter duo vitia extrema tale, quale est tepidum inter frigidum & calidum?

Nego.

CHRYSTOMUS Javellus scripsit, sic opponi virtutem extremis, sicut tepidum opponitur calido & frigido. Sed minus hoc probò: quia dissimilitudo manifesta est. Tepidum enim est medium inter calidum & frigidum per *μέσσημα*, id est, participationem (ut fuscum inter album & nigrum.) Habet

Sic inter
eocum es-
se & videre

bet enim aliquid frigidi, & aliquid caldi. Virtus verò est medium, per ἀρῆσιν, id est, negationem inter vitia. Nam per abnegationem & vitiationem seu fugam utriusq; extremi, ad virtutē ut μέσον pervenimus. Videtur quidem virtus esse medium πῆσιν seu aliqua ex parte, per participationem: quia convenientia & similitudo quædam est inter virtutem, fortitudinem, & alterum extremum, audaciam, inter liberalitatem & effusionem: & virtus æstimatur, quoad nostras vires & nostrum temperamentum. Sed hæc comparatio est verior. Sicut æquale est medium inter parvū & magnum, seu potius inter minus & majus: Sic virtus est media inter duo vitia, quorum alterum in excessu, alterum in defectu peccat. Virtutem igitur statuo captare τὸ μέτερον, cum ab extremis ὑπεροχῇ καὶ ἐλλείψει deflectit, non quòd aliquid ex illis propriè assumat, vel ex iis componatur ac miscetur, sed quòd neque ὑπεροχῇ sit, neq; ἐλλείψει. Ad summam: virtus est inter vitia Medium Deflexionis, non propriè medium per participationem, quia in ipsa mediocritate laudabili non invenitur vitiosa excessu, vel vitiosus defectus. Inquis: Virtus est extremitas: quia ut bonum malo oppositum in altero extremo collocatur: item quia est res perfectissima: Ergo non est medium. Resp. Virtus est extremitas & medium,

medium
per negationem est
non videre.
Lapis enim
non videt.
Object.

Solut. per
ἐν τῷ μέτῳ

Object.

Solut.

X § diversa

JACOBUS Schegk. differentiam virtutis, In Categ.
 qua distinguitur à vitio, facit privationem Aristot.
 exsuperantia & defectus. Sed improprium
 hoc est. Id probo rationibus tribus. Prima
 est: privatio habet rationem mali vel imper-
 fectionis. At differentia virtutis non habet
 rationem mali, vel imperfectionis, sed boni
 & perfectionis. Ergo virtutis differentia non
 est privatio, &c. Altera: Omnis privatio est
 vilior & ignobilior habitu: privatio quæ dicitur
 à Schegkio exsuperantia & defectus, non
 est vilior & ignobilior habitu, sed melior &
 nobilior. Ergo non est privatio. Item: priva-
 tio est quodammodo habitus, seu diminutus
 habitus: privatio exsuperantia & defectus non
 est diminutus habitus, sed completus est, ut
 mediocritas. Ergo non est privatio. 3. Qua-
 libet differentia est Ens positivum, alioquin
 non constitueret speciem. Privatio non est
 ens positivum: Ergo privatio exsuperantia &
 defectus non est differentia virtutis. De ma-
 jore propos. aliquis possit dubitare, cum In-
 corporeum, Impar & Irrationale sint priva-
 tiones. Respondeo, hæc proprie esse negatio-
 nes, non privationes: & negationes quidem
 voce, sed sensu res positivas: quod maxime
 ostendit incorporeum, ut quod sit idem cum
 spiritali, sicut immortale & sempiternum
 notiones sunt τὸ αὐτὸ σημαίνουσι, hoc est, æqui-
 pollen-

Virtus non
medii, sed
extremi ra-
tionem ha-
bet, quâ ef-
ficat, ut res
benè se ha-
beat, & o-
ptimum
querit.
Object.
Solut.

Object

Solut.

diversa ratione. Extremitas est considerata ut bonum oppositum malo, nempe exsuperantia & defectu. Virtus est in uno oppositorum, scilicet bono, quod longissimè ab altero opposito, scilicet malo distat. Meritò igitur dicitur extremum, & quidem res optima & perfectissima, considerata ejus proprietate. At si naturam & essentiam ejus spectes, virtus est mediocritas in animo, à recta ratione per actiones inducta. Nec quicquam valet cujusdam objectio quem aliàs plurimi facio. Virtus est sectatrix medi, ait Arist. Ergo nō est ipsum medium. Resp. Virtus est medium: quia habitus est bonus medius inter duos vitiosos: Est sectatrix medi: quia in actionibus & affectibus iis, in quibus deprehenduntur extrema (Id est, majus & minus) & medium, versatur circa medium, non verò circa extrema. Porro objicit: Medium æqualiter distat ab extremis. Propter enim & similior est liberalitas effusioni quàm avaritia. Ergo virtus non est medium. Resp. è superioribus repetenda est ad propositionem: Eth in virtute non dicitur æqualitas quoad distantiam seu spatium: id est, arithmetica: dicitur tamen secundum rationem, seu quoad nos, id est, geometrica.

XLVIII.

An differentia virtutis sit privatio extremorum?

JACO

pollentes. Ita non simplex & compositum æquivalent, cum dico: Corpus est simplex vel non simplex. Sed affirmans tamen vox neganti præstat. Itaque præferenda est huic si haberi potest. Sed hoc non est præsentis considerationis.

XLIX.

An virtutes ex actionum frequentia seu perpetua consuetudine acquirantur?

Affirmatur.

ARISTOTELIS 2, Ethicorum docet, justè agendo, justos effici: temperanter agendo, temperantes: actionibus fortibus assuecundo fortes: sicut sæpè canendo cithara citharædi efficiuntur: ac, ut dicitur in versiculo: Scribendo scriptor fit, fabricando faber. At hoc alicui mirum videatur, verisimile enim est, cum qui justè agit, jam justum esse; & ex justitiæ perfecto habitu agere: eum qui prudenter agit, jam habitum perfectum possidere, non autem acquirere. Quæstio igitur est: An aliquis possit honestè operari ante virtutem? Videtur dicendum: Neminem posse honestè agere, antequam habeat virtutem: ideoque à Divarior esse, ex actionibus bonis & honestis frequentatis generari virtutem (quæ virtus supponitur jam genita, & actiones laudabiles ac honestæ potius à virtute proficiscun-

Object.

ficiscuntur:) Nam sicut habet res in artibus:
 sic & in virtutibus. Ut dicendo Rhetores seu
 Oratores: sic iusta operantes iusti evadimus.
 Sed nemo facit opera artis, nisi habens ar-
 tem. Nemo enim bene dicit, nisi Rhetor, seu
 habens Rhetoricam. Nemo igitur facit ope-
 ra iusta, nisi iustus seu præditus iustitia: & per
 consequens, operando iustè, non fit homo
 iustus, sed jam supponitur iustus. Seu: Nihil
 est simul procreans & procreatum, respectu
 ejusdem. Iustè operari, est effectum Iustitiæ.
 Ergo iustè operari non est causa efficiens ius-
 titiæ. Falsum itaque, quòd virtus procreetur
 ex crebris actionibus honestis. Respondetur, Solutio.
 1. ad primi syllogismi minorem per inficia-
 tionem. Non enim est inconveniens idiotam
 catu seu fortuitò loqui purè vel ornate, licet
 non possit loqui purè Grammaticè, vel orna-
 tè Rhetoricè, id est, ex habitu Grammaticè
 vel Rhetoricè, scilicet ex proposito & con-
 stanter: Pari ratione non est inconveniens,
 non iustum agere iustè, non tamen iustè habi-
 tualiter, seu secundum tres condiciones habi-
 tus iustitiæ, seu ut solent iusti: nempe primò
 scientes, 2. volentes, 3. constantes: seu re-
 spondetur per distinctionem, & fallacia am-
 bigui ostenditur: tot modis iustè agere aliquis
 dicitur, quot Grammaticè vel Rhetoricè a-
 gere: Primò improprie, qui non ex habitu
 agit,

agit, vel casu, vel alio suggerente. Secundò propriè, qui ex habitu agit. Si primam significationem spectes, rectè asseritur, justè operantes effici justos. Sententia enim est: justa operando effici justos. Sin posteriorem: Non rectè: qui enim ex habitu justitiæ operantur, jam antè justè sunt, non fiunt justè. Deinde negatur similitudo artium & virtutum. Ratio dissimilitudinis est hæc. Uti quis operatur justè & temperanter, requiruntur ad hoc tria: Primò ut agat sciens. 2. ut volens, & quidem propter virtutem, non propter aliud: ut si quis præstet opus virtutis, propter timorem pœnæ, aut vanam gloriam aut lucrum, non operatur secundùm virtutem. 3. Ut constanter & perseveranter agat. Sed ad hoc ut aliquis operetur artificiosè, sufficit istorum primum, ut sciat operari ex arte. Nam etsi nunquam uteretur arte, tamen dicitur bonus artifex. Sed scire operari justè vel temperatè, pro exiguo habetur in moralibus. A scientia operationis enim non dicitur quispiam bonus, hoc est, honestus, & virtute præditus, nisi operetur, & quidem secundùm conditiones tres modò dictas. Præterea ars versatur circa operationes transeuntes, quæ non sunt subjektivè in operante, sed in effectu. Virtus verò versatur in operationibus immanentibus, quæ remanent subjektivè in operante,

rante, ideoq; faciunt operantē bonum. Hinc efficitur, propter artem neminem dici bonum aut malum moraliter, nisi quatenus arte benè vel malè utitur. Propter virtutem autem homo dicitur bonus Ethicè: virtus est quæ bonum facit habentē. Manifesta ergo est dissimilitudo inter artem & virtutem. Postremò concessa similitudine distingui potest minor. Opus artis est duplex: Imperfectum & perfectum. De imperfecto negatur minor. Nam videmus aliquos ex inclinatione naturali agere instar artificis, licet non ita perfectè: ut puerum pingere, vel benè canere, qui tamen nec pingendi, nec canendi artem didicit: De perfecto autē conceditur minor. Sic concedendū est de actionibus honestis, justis, &c. posse aliquem eas præstare, quamvis imperfectas, ante acquisitam virtutem, ex diathesi & principiis, quæ sunt in ratione practica, in quibus est semen & origo virtutis. Ad 2. Syllog. respondetur per hanc distinctionem: Opus potest dici justum aut temperatum dupliciter. Primò quia tale est, quale præstat virtute præditus, licet non ita perfectè, ut operatur virtute præditus, puta justus aut temperatus. Hoc modo nihil prohibet fieri opus bonum honestumque, à nondum habente virtutem, modò studeat per talia opera bonus evadere. Nam qui per hujusmodi opera non studet fieri bo-

nus

nus nunquam fit bonus. Et si autem nondum habeat virtutis *esse*, habet tamen *diæde* ad virtutem & semina quædam naturalia, quæ sunt prima principia intellectus practici, nobis naturaliter indita. Hinc Thomas Aquinas: Sicut aliquis per principia *speculabilia* præcognita invenit de aliquo subjecto scientiam, quam nec prius per doctrinam, nec sibi congenitâ à natura habuit: Sic operando per principia rationis practica, quæ sunt tanquam semina virtutum, producit actiones bonas, ex præscripto rationis, quibus frequentatis virtus perfecte acquiritur, quæ prius virtualiter latebant in principis rationis practicis. Secundo opus dicitur bonum iustum, aut temperatum, quia proficiscitur ab operante, sciente, eligente, constante. Hoc modo non potest fieri, nisi ab habente jam acquisitam virtutem. Hæc omnia cum ita sint, cum queritur: Utrum quis non habens virtutem, possit producere opus honestum? Respondendum est: Si non habet virtutem, nec *diæde* & principia intellectus practica, non potest producere actionem honestam, neque primo, neque secundo modo. Verum qui habet *diathesis* & principia virtutis in se, ut semina, potest producere actionem honestam, ut iustam, secundo modo: Quæ actio crebrius iterata procreans causa est virtutis.

L.

An actiones, ex quibus virtutes gignuntur, cum illis eadem sint, quae postea ex virtutibus oriuntur?

ARISTOTELES 2. Ethic. easdem actiones esse, quae antecedunt virtutem, quaeque illam consequuntur, omni asseveratione affirmat. Ut enim, inquit, ex cibo & exercitiis contrahitur robur corporis, & qui iam robusti evaserunt, uti possunt cibo copiosiore, & exercitia graviora subire ac sustinere: Ita ex abstinentia voluptatum oritur temperantia, & qui temperatus est, maximè abstinere: & perferre labores, difficilesque casus aggredi, crebrius fortitudinem parit: quiq; evasit fortis, & crebrius & facilius dura perfert. Sed videmihî quid contra afferri possit: Si eadem sunt actiones, quae virtutem antecedunt, & consequuntur, erunt eadem numero, vel eadem genere, vel eadem specie. At nullum horum. Numero eadem esse nequeunt, cum simul seu eodè tempore non existant. Easdem genere esse non dicitur, quia illa *ἁπλοῦς* est nimis laxa, cum rectae & pravae actiones genere conveniant. Nec eadem sunt specie, quia non habent sui ortus eadem principia. Siquidem actiones quae antecedunt virtutes fiunt à voluntate gubernante intellectum: quae ve-

Object

Y

rò con-

Solut.

rò consequuntur, ex habitu manant. Ergo non sunt actiones eadem, quæ virtutes antecedunt, & consequuntur. Resp. Petrus Martyr negat tertium membrum assumptionis, affirmans Aristotelem velle actiones, quæ habitum præcedunt & sequuntur eadem esse specie, (ut Cato & Cicero sunt idem identitate speciei) quod ambæ contineantur inter eadem extrema, defectû & excessum, & consentiant cum recta ratione. Exempli igitur causa: Si quis reddat depositum ex virtute iustitia, alijsq; idem faciat suavis rectæ rationis, absque virtutis habitu, hæc restitutiones ambæ sunt ejusdem speciei, id est, bonæ sunt, seu honestæ. Adhibet Martyr comparisonem à candore. Candor perfectior & minus perfectus sunt ejusdem naturæ. Magis enim perfectum & minus perfectum in accidentibus nõ mutant formam. Ita actio præcedens, & actio sequens eam, cum tantum distinguuntur juxta magis & minus perfectum, non sunt diversæ speciei ac formæ. Quod ad probationem tertii membri assumptionis attinet, respondet Martyr per distinctionem. Quando principia ortus rerum ita distinguuntur, ut in una ratione communi copulari non possint, tunc illa quæ fiunt diversæ formæ & speciei esse dicuntur, ut sunt inventio, & doctrina, quibus intelligentiæ virtutes parantur, si ea

contu-

contuleris cum usu & exercitio, quo virtutes
 morales acquiruntur. Cùm verò principia
 seu causæ ortus in una communi ratione con-
 jungi possunt, ut cùm sunt ejusdem facultatis
 & earundem virium, possunt effecta esse spe-
 cie eadem. Sic animantia quæ procreantur à
 parentibus calore seminis, & quæ generan-
 tur à calore cœli ex putrida materia, ejusdem
 sunt speciei. Ac calor parentum ad gignen-
 dum perfectum animal, & calor cœlestis in
 imperfectorum animalium productione sunt
 earundem virium. Tum effectorum horum
 utrunque est causa per se. Infirmum ergo est.
 Hæc duo non habent eadem artis principia:
 Ergo non sunt eadem speciei. Nam planta hæc
 per semen seu sata, illa verò planta sponte na-
 scitur: Et tamen non sunt diversæ speciei. I-
 gnis interdum à luce, interdum ab alio igne,
 interdum à motu producitur, & tamen ignis
 à motu, ignis à luce, ignis ab igne, sunt ejus-
 dem speciei. Scientia tam per doctrinam quam
 per inventionem acquiritur, & tamen scientia
 acquisita per doctrinam, & scientia acqui-
 sita per inventionem, non sunt diversæ spe-
 ciei. Distinctio igitur actionum anteceden-
 tium habitum & sequentium, si ab efficien-
 tibus diversis discesseris, hæc est, ex adjunctis
 quod actiones ante habitum adjunctam sibi
 habent luctam, difficultatem, molestiam, im-

Object

Solut.

perfectionem. Post habitum verò facilitatem, voluptatem, tranquillitatem, perfectionem. Inquis: Homo & equus, qui differunt perfectione, non sunt ejusdem naturæ: Ergo nec actiones ante & post habitum editæ sunt ejusdem *quoditas*. Resp. Dissimilitudo est: non ut homo magis est perfectus quàm equus: sicutio parte habitus magis est perfecta quàm actio ante habitum: nam ex perfectione hominis & imperfectione equi differentie substantiales sumuntur: Homo igitur perfectior equo, & equus imperfectior homine (quia rationem non habet,) ad eandem speciem non attinent, cum hoc discrimen perfectionis attingat rei substantiam, perfectio verò & imperfectio actionum accidentalem differentiam parit.

L I.

An actionibus vitii, ad quod minimè propensum, virtus procreetur?

DOCET Aristoteles, si quis nondū habet fortitudinem, & natura propendat ad ignaviā, eum debere actionibus suis desistere ad oppositum vitium audaciam, ut facillius ad medium perveniat, tandemq; fortitudinis habitum consequatur. Quæstio igitur est: An oppositi vitii actionibus virtus procreetur? Resp. strictim. Per istas actiones vitiolas

vitiosas ad moderatas ut tandē perveniamus,
fieri potest. Sed ex temperatis moderatisque
actionibus deniq; virtus propriè gignitur.

LII.

An vitium possit esse causa virtutis?

Negatur.

EX vitio oriri virtutem, *ἀπο* est. Cùm enim virtutis corruptio & interitus sic à vitio, non est ab eodem ortus ejus seu generatio. Et si virtus existeret ex vitio, propriè loquendo, definiri possent virtutes per vitia, & vicissim hæ per illa, ut rectè judicat Scaliger. Diceretur scilicet: Liberalitas est prodigalitas moderata. Magnificèntia est ambitio cum recta ratione. Fortitudo est consulta audacia. At inquis: ambitio est causa virtutum. Resp. Ambitio vitium seu habitus vitiosus, non est causa habituum laudabilium, ut virtutum, sed tantum actuum, id est, ex ambitione interdum oriuntur actiones magnificentiæ & magnanimitatis, nempe si nimium tandem corrigatur: Ex temeritate opera fortitudinis, seu fortitudini consentanea. Scalig. 3: 7. sect. 4. Ut autem ex privatione propriè nulla sit res physica: Et ut ex malis moribus propriè non sunt hanc leges: Sic neq; ex vitio propriè existere potest virtus. Contraria enim
Y 3 sunt

sunt inter se corruptiva, non constitutiva.
 φθαρτικὰ τῶν ἀγαθῶν ἐναντία. Aristoteles.

LIII.

An conciliari inter se possint Plato & Aristoteles:
 quorum ille virtutem nobis inesse natura affirmat:
 hic negat. Item: An Plato pugnet secum ipse, virtu-
 tem totam à Deo pendere in Menone statuens?

Affirmatur ἤ: & aliqua ex parte negatur.

DE causa efficiente virtutis inter Aristo-
 telem & Platonem convenire non vide-
 tur. Plato quidem ait: Virtutem existi-
 re è naturæ seminario: seu virtutem esse nobis
 ζυσθῆν, hoc est, natura ingenitam. Aristoteles
 contra: Virtutem comparari industria, hoc
 est, doctrina vel consuetudine, id est, exerci-
 tatione ac usu bonarum actionum, non esse
 nobis ingeneratam. Aristotelis sententia vera
 est de virtute perfecta (ut habitus est) in-
 tellecta. Est & Platonis assertio vera intelle-
 cta κατὰ π, nempe homines igniculis seu scin-
 tillulis naturæ ad virtutem capeendam a-
 ptos esse. Sententiæ itaque Platonis & Aristo-
 telis jungantur ita: Homo ad virtutem
 ἠέροικε, nec virtus est contra & præter natu-
 ram: Igniculis autem naturæ ad virtutem sus-
 cipiendam ita aptus homo, præceptis, com-
 moda institutione, industria, & exercitatio-
 ne est excitandus, ut propensio, aptitudo &

διναμικὸς

Νύξις illa in *ἔξιν*, id est, habitum, constantemq; & firmam actionem adolefcit. Virtus est ex actionibus ut causa propinqua: actiones ex voluntate: Voluntas autem à natura data est: Virtus igitur ex natura erit ut causa remota. Sed inquis: Quomodo Plato docet sibi consentanea cum utrunq; doceat: Et homines ad virtutem *πεφυλάξει* (virtutem nobis esse natura insitam:) Et virtutem nec natura hominibus esse ingentam, nec doceri posse, id est, disciplinæ institutis ullis ulliusve laboris sive exercitationis industria comparari, sed divinitus esse delibatam, divino numini & beneficio (*δὲ θεοῖς*) hominibus obtingere seu tribui. Respon. Si simpliciter & absolute intelligantur, quæ Plato in Menone disputat, sanè abesse non potest, quin pronuncian- dum sit, Platonem *ἀξίμωρα* & repugnantia sibi dicere. Si verò intelligantur *κατὰ π*, con- siderato philosophi objecto & scopo, secus res habet, id est, pulcrè secum concordat Pla- to. Disputat & contra Sophistas: qui ita age- bant de virtute, quasi vulgarem quandam ar- tem docerent: quæ tota in præceptionibus & usu versaretur: & adversus politicos: qui vir- tutem putabant esse bonum *πατέροδοτον* seu hereditarium, quod à parentibus ad liberos naturæ cujusdam vi derivaretur. Illorum o- pinationibus opponit philosophus: Frustra

industriam & laborem adhiberi ad virtutem comparandam, nisi divini numinis efficacia accesserit, qua nimirum homines virtute instruantur: Neminem hominem idoneum esse virtutis præceptorem aut discipulum, si divini numinis vis absuerit: Et pessimos liberos ex optimis sæpè nasci parentibus: Sicut dici solet: Heroum filii noxæ. Ac Plato agit de perfectis & solidis virtutibus, non umbris larvisve externis seu simulacris virtutum, & dispositionibus, quæ inchoatio quædam sunt virtutum. Virtutum moralium perfectarum adeptio non consistit principaliter in doctrina hominis: Sed aliquo modo tantum virtus Ethica doceri potest, nempe quatenus adolescens quid iustum, quid iniustum, quid sanctum, quidve profanum sit, quæ agenda, & quæ non, erudiri potest. Hoc autem adhuc abest à virtutis forma & complemento. Eatenus igitur Protagoræ disputatio recipitur. Ceterum in eo dissidet Aristoteles à Platone: Divinus Plato statuit, *πρωτον και υνερον αυτον* causam efficientem propriam & principem virtutis, sicut & felicitatis, esse Deum, non mentem humanam: Aristoteles ipsum hominem: Imò videtur hominem causam solitariam facere, Deo prorsus excluso. Virtutem enim divinitus advenientem sublimiorem esse iudicat, quam quæ sub philosophi Ethici seu politici

Homo Aristoteli est
*αρχη η δεσπο-
 τικη*
 tuarum.

litici ratiocinationē cadere possit. Plato propius videtur accedere ad sententiam sacrarum literarum. Hæ enim Deum faciunt potissimam & præcipuam virtutum causam. Jacob. 2. 17. Omnis donatio bona, & omne perfectum donum è supernis descendit à patre luminum. Dico præcipuam: Quia homines non sunt hîc subjecta habentia se purè passivè, sed sunt *σύεργα* seu causæ cooperatrices.

LIIII.

*An aliquando verum fuerit: Homini natura
virtutem inesse?*

Affirmatur.

VIRTUTES aliquo modo proficisci è stipenaturæ: studio verò absolvi & augeri, si Deus annuat, dictum modò est ex Aristotele & Platone: Ut virtus quidem sit naturalis, quoad radicē, inchoationem, adumbrationem, semina, igniculos & propensionem ad decus & honestatem. Non verò naturalis, quoad solidam expressionem & perfectionem. Hæc autem assertio in natura, ut nunc est, id est, corrupta & vitiosa per primum lapsum, locum habet. Uitato nunc cursu naturæ non nascimur, sed simus boni seu *καλοκαγαδοί*: At in statu innocentie ac integritatis naturà virtus homini inerat. Homo Adamus ut à Deo creatus est, ita creatus est, ut virtutibus

Y 5 bus

bus instructus, non nudus ab his fuerit. Hæ igitur virtutes fuerunt ornamentum, & bonum φυσικόν, quia à natura naturante, (quam vocant,) infula ἔξῃς, non δῶκεν, id est, non studio acquisitum, non frequenti actione accitum. Sic ante lapsum generis humani inferiores animi vires non pugnarunt cum superiore facultate. Dedit enim Deus homini ab initio inferiores animi vires partève moderatas, & rationi obsequentes. Ex lapsu postea exortum est dissidium seu bellum inter affectum, & rationem, quo fit, ut non nunquam libidinum æstu abripiamur, illecti voluptatum blanditiis, à rationis præscripto deflectamus, nec ὁρῶν τὰς ναῦν perpetuò teneamus: quod ut ἰδὲ παρέργον adjicere huc libuit. Respondeo igitur eò, unde paululum videor digressus. Virtutes, objiciat quispiam, Adami ante lapsam sunt bonum morale. Non igitur naturale. Respondeo: hæc Naturale non opponi morali: Sed hæc distingui tantum ratione. Morale bonum est Adamo naturale, quia non comparavit virtutem crebris actionibus. Ac quidem, ut dixi, virtus ei ita naturalis est, ut & cœlestis & delibata divinitus rectè dicatur, quia θεοδότης est: id est, à Deo ipso in animo Adami facta est, ideoque aliunde hausta acceptaque.

Object.

Resp.

LV.

Sine virtus arte præstantior & melior?

Affirm. cum Aristotele in Ethicis.

ET si virtus & ars in eo conveniunt, quòd utraque mentem exornat & perficit: virtutem tamè esse meliorem arte probatur comparatione efficientium, effectorum, subjectorum, adjunctorum. Nam ad artes sufficit cognitio. Sed ad virtutem magis delectus & constantia, quàm notitia requiritur. Virtus reddit animum meliorem seu honestiorem, non ars. Per multi enim sunt viri mali, imò perditissimi, qui artes callent. Virtus verò in malis hominibus locum habere nequit. Artes materiam virtuti præparant, ut hujus ancillæ. Nam sutor facit vestes, quibus prudenter utamur. Cocus cibos cõdit, quibus temperanter utamur. Virtutibus nemo potest malè uti. At artibus possumus abuti pessimè. Sæpè sunt viri mali dicendi periti, qui linguam venalè habent, ut meretriculæ pudicitiam. Indignior igitur & inferior ars virtute morali. Verùm Objec. dubium non leve & exiguum hìc oritur. Prudentia virtutum moralium est rectorix & moderatrix. Prudentia autem in notitia consistit. Quomodo igitur tam parum potest tribuere notitiæ, quoad virtutes morales, Aristote- Solut. les? Respondit P. Martyr, Aristotelem loqui tantùm de simplici & pura notitia, quæ contemplans

semplans est, & velle, parum facere ad virtutes Ethicas, si quis perceperit Ethicæ quandā theoriam: prudentiam verò notitiam quidem comprehendere non simplicem, sed talem, quæ ab appetitu pendeat, tum superiore, tum inferiori: quod non solum ad prudentiā pertineat consultare de destinatis ad finem, sed & consultatione conclusa imperare efficaciter, ut hoc vel illud fiat. Id quod non potest fieri sine voluntate, quæ quidem ad id non adduceretur, nisi appetitus inferior utcumque domitus & coercitus esset.

LVI.

Virtus laudetúrne propter se, an propter actiones?

ARISTOTELES sic ostendit virtutem esse potius ex honorabilibus (μνησίων τῶν τιμίων) quàm ex laudabilibus (ἢ τῶν ἐπαινετῶν:) laudantur ea, quæ aliò referuntur. Felicitas aliò non refertur. Non igitur laudabilis felicitas. Propositionem probat sic: Laudatur vir bonus, & virtus ipsa, non propter se, sed propter actiones. At idem Aristot. in Rhet. lib. 1. cap. 9. contrà scribit: Actiones propter virtutes laudari, quoniam facta signa sunt habitus, Quin imò ait, laudamus virum bonum, qui nihil agit, cum virtute præditum credimus. Si igitur actiones non sunt laudabiles propter se, sed quia testificantur virtutem,

quæ in se
Aristot. R
contradit
actiones
virtutes in
tas, quod
in nulla
Aristotele
bus con
virtutes
est, con
actione
damus
dimin
per et
rit, ve
te otio

Aristot
de
n
t

A

aut
& b

quæ in se veram laudem continet, quomodo Aristot. Rhetor & Ethicus *ὑποφανεῖ*? Resp. A contradictione sic vindicatur: Virtus propter actiones laudatur, ut fons propter rivus & fluvios inde emanantes, id est, virtus laudatur, quod sit fructuosa. Possessio enim virtutis nulla est sine usu. Quo fit, ut etiam ipse Aristoteles in Rhetor. dicat, laudem in actionibus consistere. Actiones laudantur propter virtutem, ut rivus propter fontem, qui bonus est, commendatur à bonitate: quia ex virtute actiones dicuntur honestæ & laudabiles. Laudamus virum bonum, qui nihil agit, cum credimus eum præditum virtute, at quæ non semper est otiosa, sed quæ aliquando se exeruerit, vel suo tempore se exeret, etiam si jam fortè otiosa sit.

LVII.

An turpia facienda ut magnum quid vel bonum inde consequaris: ut: An liceat consuescere seu misceri cum uxore tyranni, ut per eam paratum ad irum habeas ad occidendum tyrannum?

De Thesi distinguitur: de hypothesi negatur.

ARISTOTELIS 3. Ethicorum: In ejusmodi, inquit, actionibus, quandoque & laudantur homines, cum turpe quippiam aut molestum toleraverint pro magnis rebus & bonis consequendis. Hæc sententia a veterè Ethic.

rè Ethica sit, dispiciendum. Si per Turpia Aristoteles intelligit scelera & sceleratas actiones, non est hic audiendus. Virtutibus enim tantum conveniunt laudationes, non vitis. Nec est peccandum gratia alicujus insignis utilitatis consequendæ, aut magni incommodi & mali vitandi. Non faciendæ mala, ut eveniant bona. Non igitur fas est commiseri alienæ uxori, ut maritus infestans rempublicam è medio tolli possit. Nec audiendi sunt, qui dicunt: etsi in hac similibus specie facti facis turpe quid: non tamen facis turpiter: Ideoq; non es vituperandus, sed laudandus propter bonum finem. Sicut enim sunt quedam actiones & operationes bonæ, quæ tamen non sunt benè factæ: siquidem non omnia qui justum facti, illicè justè facit: Sic possunt quedam actiones esse turpes & malæ, quæ tamen non sunt malè & turpiter factæ. Ecce verò non sunt audiendi? Quia & habitus malus & actiones ante & post habitum talem malæ sunt vituperabiles. Si verò Aristoteles intelligit per turpia, ea quæ habent aliquam externam fœditatem, à sententia ejus stamus. Nam si, exempli causa, jubeatur magistratus instar servorum per publicas plateas cursitare ob magnam quandam commoditatem, facere id non detrectabit. Zopyrus Persæ truncavit sibi nares, aures, labra, ut Babyloniorum urbem

Honestis
mediis ad
finem ten-
dendum.
Object.

solus

urbem proderet suo Dario. Ulysses passus est se graviter verberari, aptavitque sibi sordidas vestes, & hoc amictu, quasi esset servus et transfuga, ad Troianos venit, ut urbem exploraret. Talia turpia laudantur.

LVIII.

An vitia sint involuntaria?

SOCRATES apud Platonem in Protagora disputat: Vicia esse involuntaria, neminemque fieri sponte malum. Contra Aristoteles docet, vicia esse voluntaria. Socratis seu Platonis sententia *κατά τὴν* vera est. Plato enim cum Stoicis intelligit per voluntatem appetitionem non quamvis, sed quæ aliquid cum ratione desiderat, seu quæ rectæ rationi est consentanea. Hoc autem modo nemo vult malum: sed tali appetitione homines volunt vicia, cui reclamatione ratio. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, inquit Apostolus: ac sentit se corruptione, in qua natus est, ad mala impelli. Quod ago, inquit idem, non agnosco, & nequaquam id Rom. 7. v. 15. quod volo, facio: sed id quod odi, illud ipsum facio. Platonica igitur assertio intelligatur ita, ut congruat cum hac sententia Thomæ Aquinatis: Non potest esse peccatum involuntate, nisi sit defectus in ratione. Vel, quod addo ego, nisi recta voluntas à vitiositate homini infidente

fidente & affectibus vincatur. Propter obiecta tamen externa, quæ vehementius vel remissius animum commovent, aliud vitium esse magis spontaneum, aliud minus spontaneum, non negaverim.

LIX.

Utrum omnia peccata seu vitia sint paria: An potius sint eorum gradus?

Posterius affirmatur.

STOICI omnia ἀμαρτήματα paria fecerunt. De hoc paradoxo Horatius sic iudicat:

lib. 1. Satyr.

Quis paria esse ferè placuit peccata, laborant:
Cum ventū ad verum est: Sensus moresq; repugnant,
Atq; ipsa utilitas iusti prope mater & aequi.

Et rectè quidem. Gravius enim est principem virum quàm civem verberare: patrem, quàm servum interficere: ideoq; parricidium gravius punitur, quàm cædes servi. Cum in minimis peccatur, levius est peccatum, cum in maximis, maximum. Quid queris? Qualitates & circumstantiæ rerum & personarum distinguunt, atq; inæqualia faciunt delicta. Sed pro Stoicis afferuntur hæc. 1. Omnia peccata sunt æquæ peccata. Ergo sunt æqualia. 2. Quod non licet, id nec minus nec majus esse potest. Peccare est facere quod non licet. Peccare igitur nec majus nec minus esse potest. 3. Virtutes sunt pares: & Bono nihil est melius!

Objcã.

melius: ut recto nihil est rectius. Ergo etiam
 vitia sunt paria. Et malonihil pejus. 4. Per-
 turbatio rationis nō potest augeri aut minui.
 Peccatum fit perturbatione rationis. Pecca-
 tum igitur nec augeri nec minui potest. Resp. *solue.*
 ad primum: Nego consecutionem. Hæc enim
 si valeret, ista quoq; bona esset: Omnia ani-
 malia sunt æquæ animalia, ut bestia æquæ est
 animal atq; homo. Species enim ex æquo na-
 turam generis sibi vendicant. Ergo omnia æ-
 qualia sunt æqualia. Consequens hoc fal-
 sum est. Differunt enim animantia quantita-
 te. Respon. ad secundum: Nego majorem:
 Quia eorum, quæ facere non licet, quædam
 sunt graviora: quædam leviora. Respon. ad 3.
 Negatur antecedens: & Similitudo fallax est:
 Quamvis enim omnes lineæ rectæ sunt æquæ
 rectæ, quia à puncto ad punctum brevissimæ
 sunt: quæ definitio omnibus lineis rectis
 communis est, seu æqualiter convenit: tamen
 possunt inter se esse inæquales: quia aliæ aliis
 breviores vel longiores sunt. Resp. ad 4. Ne-
 go propositionem majorem: Quia perturba-
 tiones & morbi in animis nostris modò sunt
 leviores, modò graviores: Exempli causa, nūc
 magis, nunc minus cupimus. Teneantur ergo
 firmiter hæc axiomata. 1. Essentia & definitio
 peccati omnibus peccatis æqualiter con-
 venit. 2. Quædam peccata sunt æqualia: ut
 Z fraudare

fraudare socium & pupillum. Quædam inæqualia, id est, alia majora, alia minorâ: ut, majus fuit peccatum Evæ, quàm Mariæ, amittentis filium Jesum.

LX.

Rectène Stoici negent officiorum fieri commutationem?

Negatur. Materies declamationis disposita.

Propositio. **E**xordium ab adjunctis rei ipsius. Literarum studiosis toto pectore huc incumbendū est, ut in utilissimis quibusq; materiis

Assumptio. stylum exerceant. Nihil verò utilius, quàm si ad Rhetorum copiam, non ad philosophorum tenuiter differendi morem in *Thesum* tractatione exerceamur, idq; utraq; in partem, non quòd verum aliter inveniri non possit, sed quòd dicendi exercitatio (vel Cicerone teste) maxima sit ita futura. Sic enim & Aristoteles suos discipulos fertur exercuisse.

Complexio. Quamobrem ut idem exercitii genus in nobis utilitatis aliquid adferat, libet eandem viam à philosopho commonstratam ingredi. **Narratio.** A Stoicis quondam, & hodie à Theologis plerisq; acerrimè disputatum est, fieri non posse, ut quæ sint honesta, pro circumstantiarum ratione fiant turpia, & contra. **Propositio.** Quamobrem operæ precium facturus videor, si turpissimum errorem pro

mea virill parte refutem, & utrunq; factum esse & quotidie fieri condocerem. *Confirmatio à specie.* Iustitia præcipit ut reddas depositum & promissa facias. Idverò si semper velis contra officium feceris. *Ratio ab effectu iustitia.* Nam præcipuum est iustitiæ munus ut prois cuicunq; possis, noceras nemini. Nocueris verò aliquando vel tibi vel aliis, si depositum reddere vel promissa facere velis: id quod exemplis variè potest illustrari: ut, si quis sana mente gladium apud te deponat, eundem insaniens repetat, reddesne, cum vel sibi ipsi vel alii sit allaturus manus? Ita Neptunus promiserat Theseo, Hippolytum de medio sublaturum: sed eo sublato in gravissimos ludus conjectus est ipse Theseus. Satisfine igitur fuisset promissum illud à Neptuno non fuisse impletum. Plura exempla sunt in 3. de officiis. Item in Bibliis, ut Jephthæ & Herodis: quorum alter nimis religiosus in voto servando: alter in faciendo promisso in gravissimos dolores incidit. Quæ cum ita sint, *Complexio.* dubitari non potest honestas actiones in contrarias commutari. *Transitio ad alteram partem propositionis confirmandam:* Turpes videlicet actiones quandoq; fieri honestas. Similiter probatur à specie. A viro bono alienum videtur, ut aliud dicat quàm sentiat. Verum si earatione vel suæ vel alterius saluti possit prospicere,

Z 2

spicere,

Propositio
syllo.

Assumptio.

Complexio.

spicere, præcipiente justitia, quæ ut nocet nemini, sic prodest cuicumq; potest, nihil omnino id facere vetabitur. Tempora verò hujusmodi non rarò incidere complura restantur exempla: ut Abrahami, qui negavit Saram suam uxorem esse, vocans eam sororem, ne fortè apud exteros populos infideli ipsi fierent, ut impunè cum ipsa adulterarent, Genes. 12. & 20. Item meretricis Cauponæ Rachabæ, quæ negabat domi suæ esse exploratores, Jehovah potius, quàm regi obtemperandum sciens, Josue 2. cap. Item Jahelis, quæ Siseram hostem Domini pia fraude intercepta, ac simulatè occultans interfecit, Judicum 4. Item Judithæ, Holofernem dolosè interficientis, ut Betulienses obsidione liberaret, Judith. lib. cap. 13. Item Davidis simulantis amentiam, qua simulatione evasit incolumis, 1. Schemuelis cap. 21. *Conclusio.* Cùm igitur tam sacris quàm prophanis exemplis perspicuum sit, incidere non rarò tempora, ut commutentur officia, nequequam vel Stoicis vel Theologis contrariam in partem disputantibus suffragabimur.

LXI.

An approbandum sit, quod Aristoteles actionem justitiae, temperantiae, fortitudinis detrahit?

Distinctione respondetur.

DIUM

DEUM non operari ex virtutibus morali-
 bus, & ejus felicitatem non esse practi-
 cam, sed theoreticā, docet Aristoteles 10.
 Ethicorum. Sed, quia Deus ut summum &
 primum principium in se continet omnium
 generum perfectiones absque imperfectio-
 ne, dextrè & κατὰ π accipienda est Aristotelis
 sententia. Deus non est justus, temperans, for-
 tis: scilicet πολιτικός seu civiliter. Non enim
 appetit cibum & potum, non commutat bo-
 na ut mercator, non subit pericula, non per-
 peritur terribilia. Et si autē temperantia, for-
 titudo, justitia, veritas, clementia, misericor-
 dia, non tribuantur Deo eodem modo seu ea-
 dem ratione, qua tribuuntur homini: tamen
 non dicendum est ei istas virtutes prorsus non
 convenire. Conveniunt enim ei nobilissimo
 modo. Primum immutabiliter, essentialiter,
 & perfectione, non ut ἔστι seu habitus acci-
 dentarii, sed ut attributa essentialia οὐρανίους
 potius, quàm ἑμάνίους, id est, Deus potius ju-
 stitia est, quàm justus. Nec tantum dicitur ve-
 rax & bonus, sed vel maximè ipsa veritas, αὐτὸ
 εἶναι τὸν, ipsum bonum. Secundò conveniunt
 ei, quia est causa earum in hominibus. Nostra
 enim bonitas & justitia ut rivuli ab hoc fon-
 te angusto, limpido & inexhausto manant.
 Sic, quòd Aristoteles 1. lib. Eth. dicit: Virtuti
 propriè ἐπαινον seu laudem, operibus ἐπιδόματα
 tribui,

tribui, Deos non esse laudandos, *κατὰ τὴν* accipiendum. Primum enim vult aliquid laude majus & melius Diis tribuendum, nempe *τιμὴν* honorem & venerationem. Deinde vult non laudandos Deos relatos ad nos, id est, sicut homines laudantur. Non, ut mortales laudamus, ut istis laudibus extimentur ad melius, perfectius & constantius operandum: sic prædicamus Deos.

LXII.

An omnī virtus Ethica sit prudentia?

Negatur.

PLATO in persona Socratis ait: Omnes virtutes esse prudentias: sicut quidem verba ejus Aristoteles accipit, 6. Nicomach. cap. 13. Quod ideo addo, quia Franciscus Patritius in Tom. discussionum suarum peripateticarum affirmat falsam esse objectionem Aristotelis, quod Socrates virtutes existimavit esse prudentias. Nihil, inquit, tale legitur apud Platonem, Xenophontem, Æschinem. Putavit tantum esse non sine prudentia esse, quod in Menone concludit sic: Nonne ut *ἀληθῆς*, id est, comprehensim dicamus, omnes animæ conatus ac omnes tolerantiz, si prudentia dux sit, in felicitatem de finunt? Si verò imprudentia, in contrarium. Et 3. legum lib. *ἐξώτη τῆς Συμπάσις ἡγεμὼν ἀφ' ἧς φέρνται*, prima *universæ*

universæ virtutis dux prudentia. Videtur igitur Aristoteles sententiam Platonis sophisticè calumniatus esse, sicut in Ideis quoque labefactandis non optima fide cum eo egisse, qui fateantur, non desunt vel ex ipsis peripateticis. Judicat & Muretus eundem calumniosè interpretatum, quod Plato dixerat, civitatis salutem in eo positam esse, si quàm maxime una esset. Sed ne longè abeamus à prudentia, demus sanè Aristoteli, alicubi dicere Platonem, Omnem virtutem esse prudentiam. Quid contra Aristoteles? Si, inquit, arguendo, omnes virtutes essent prudentiæ, profus nulla virtus esset moralis, sed omnes virtutes essent intelligentiæ, cum prudentia sit virtus *διανοητική* seu intellectus, virtus verò moralis sic *ἐν ὁρεκτικῷ*, id est, in animi parte appetente. Resp. Plato candidè dexteq; intellectus nihil statuit absurdi. Dicit virtutes esse prudentias, quia virtutes morales prudentiæ normam diriguntur, nec sine prudentia acquiruntur, sicut ipse quoq; Aristoteles non posse casalicui sine prudentia inesse, in 6. Ethic. concludit. Virtutes igitur sunt prudentiæ ratione dependentiæ & acquisitionis, quia *ἡσυχίας* necessaria est ad acquisitionem virtutis Ethicæ: Item ratione connexionis, consensionis, & conspirationis, quia nulla virtus moris potest esse separata à prudentia. Non

Objcā.

Solutio.

Z. 4

sunt

Object.

Solutio.

sunt prudentiæ formaliter & essentialiter. Aristoteles loquitur propriè. Plato impro-
 priè. Propriè enim virtutes morales sunt *με-
 τὰ φρονήσεως*, id est, conjunctæ cum prudentia,
 & participes prudentiæ. At, inquis, separata
 sunt virtutes moris à virtute intellectus. Re-
 spon. Virtus moralis & prudentia intellectu-
 ne quidem separantur, sed actu simul semper
 reperiuntur. Cum enim virtus moralis recta
 ratione, (à qua dirigitur) utatur, recta autem
 ratio à *φρονήσῃ* pendeat, prudentiam morales
 virtutes omnes comitari necesse est, ita ut
 qui prudentiam comparârit, ille idem omnes
 virtutes Ethicas habeat. Loquimur autem de
 virtute *νεκρά* seu acquisita. Nam naturalem
 prudentiam & naturalem virtutem Ethicam
 actu separari posse, non negatur, cum in pue-
 ris liberalitatis semina prius sese exerant,
 quàm prudentiæ,

LXIII.

An virtus Moralis sit durabilior Scientia?

Distinguitur.

VIRTUTES morales & actiones ex his ef-
 se stabiliores sciētia, ait Aristoteles lib. 1.
 Ethicorum. Sed hoc *εἰς τὴν* intelligē-
 dum, nempe quod attinet ad exercitiū & re-
 cordationem. Primum enim non datur no-
 bis ita continuum exercitium speculationis
 in scien-

in scientia, ut operationis secundum virtutes
 Ethicas. 1. Continud enim occurrunt nobis
 ea in quibus convenienter virtuti est agen-
 dum: ut contractus, in quibus requiritur
 iustitia: congressus hominum, in qui-
 bus indigemus operatione affabilitatis & ve-
 racitatis: cibus & potus, in quo opus est actu
 temperantiae. Necessse est igitur virtutis ha-
 bitum consuetudine & exercitatione in no-
 bis magis confirmari, quam habitum scienti-
 aë & artis (is non ita frequenter, ut virtutes,
 in actum suum erumpit.) 2. Deinde licet ho-
 mo scientiaë obliviscatur, ut mathematicus
 suarum demonstrationum, dum studium re-
 mittit: non tamen obliviscitur virtutis mo-
 ralis: quia virtute præditus continud exerce-
 tur & occupatur in ea, & virtus moralis præ-
 cipud consistit in inclinatione appetitus, quæ
 oblivione non tollitur. Scientia verò est fir-
 mior & stabilior, quod ad objectum & assen-
 sionem. Virtus enim versatur circa actiones
 humanas, quæ multum recipiunt varietatis.
 At scientia versatur in necessariis, seu in iis,
 quæ non contingit se aliter habere: & per de-
 monstraciones in qualibet scientia firmissi-
 mus paratur assensus. Verum occinat aliquis: Objectu
 posse inveniri, qui degens solus totus sit in
 contemplationibus & scientiis, ideoq; faci-
 lius virtutem obliviscatur, aut iis citius careat,
 Z s quàm

Solut.

quàm scientias oblivio deleat, obliteretve. Itaq; non semper esse verum, quod Aristoteles ait: Scientias faciliùs oblivioni tradi quàm virtutes. Respon. Aristotelem intelligendum non de eo, quod rarò fit, sed de communi hominum conditione, seu de eo quod plerumq; fit. Quæ rarò accidunt, de iis non potest haberi scientia. Nec ad naturam hominis, qui animal πολιτικὸν esse debet, tales mores congruunt, ut quis in solitudine ita degat, ut ferè nihil agat τῶν πολιτικῶν, sed totus in contemplando versetur.

LXIII.

An omnis virtus moralis consistat in medio, quoad nos?

Affirmatur ferè.

Medium
in virtute
μεσότης
(ἐξ-
τενσις) &
ἐν πλετῆ
ferè acci-
piendum
est.

MEDIUM duplex est: Rei, seu secundum rem, & Quo ad nos. Medium secundum rem est, quod æqualiter distat ab utroq; extremorum. Estq; secundum proportionem arithmeticam: & apud omnes idem. Sic 6. est medium inter 2. & 10. quia senarius tantum excedit unum extremorum (binarium) quantum exceditur ab altero (denario.) Medium quo ad nos est quod nobis nec excedit, nec exceditur seu deficit. Estq; secundum geometricam proportionem, in quo non servatur æqualis distantia ab utroq; extremorum, sed æqua-

æqualitas rationum. Et non idem est apud omnes, sed per circumstantias variatur. Itaq; à prudente viro judicandum. Diversa enim sunt nostræ vires, inclinationes & temperaments. Sic 6. est medium inter 9. & 4. Quæ enim est proportio inter 6. & 4: eadem est inter 9. & 6. nempe utrobique; sesquialtera. Sicut enim sex continent quaternarium, & dimidium hujus: Sic 9. continent senarium, & dimidium ejus. Jam verò justitia commutativa consistit in medio rei secundum æqualitatem arithmeti- cam. Id medium est velut regula, prorsus æquans inæqualia. In definitione igitur virtutis moralis Aristotelea, quod dicitur ea esse mediocritas quoad nos, seu personale, non est κατὰ παντός verum, nisi intelligatur esse mediocritas saltem, id est, ad minimum, quoad nos, ne Rei prorsus excludatur. At inquis: **Objec.** Quomodo virtus moralis in medio consistat, cum magnanimitas non ad medicres, sed ad maximos honores, & magnificentia non ad medicres, sed magnas expensas tendat? **Respon.** In δόσει καὶ λήσει, id est, tributione, & **Solut.** acceptione magnarum divitiarum etiam μέσων spectandum est, ne ad extrema vitia deveniatur. Idem judica de magnanimitate. Nec medium virtutis consistit in quodam indivisibili, ut puncto: ita ut qui parum à medio declinarit, fiat vitiosus: sed talis tantum fit,

Est medii quædam latitudo intra quam cõti-

benè sese, fit, qui multum & sensibilibiter à medio re-
benè agere cesserit.
dicuntur.

LXV.

Utrum actiones virtutis sequentes habitum ab
hoc oriuntur, an à voluntate?

Prius affirmatur.

Exerc. 307.
sect. 4.

JULIUS Scaliger de affectibus disputans,
præter cætera, tria hæc affirmat. 1. Actio-
nes, quæ fiunt ante habitum, bonas quidem
esse, sed non benè fieri. Assentior. Propriè
enim loquendo benè agere, *esse*, id est, ha-
bitus est. 2. Non tantum ex actionum cre-
britate, sed etiam ex paucis benè validis actio-
nibus habitum creati: sicut cavitas fit in lapi-
de non tantum à multis guttis, sed etiam à re
solida paucis ictibus. Assentior iterum. 3. A-
ctiones, quæ parco jam habitu fiunt, non ab
ipso habitu tanquam efficiente, sed ab eadem
voluntate oriuntur. Non assentior. Statuo enim
actiones, quæ præcedunt habitum à volunta-
te gubernata intelligentiâ fieri: Quæ verò se-
quuntur, ex habitu prodire. Videtur autem
Scaliger nisi duobus argumentis, 1. Habitus
est forma illarum actionum. Ergo non est ef-
ficiens. Sed antecedens istud ei non do. For-
ma enim est temperatū illud laudabile & re-
ctum, quod in actione illa est. 2. Si ab actio-
nibus fit habitus, & ab ipso habitu fiunt actio-
nes,

des, circula
genere causæ
in natura, ca
pionibus. R
argumentum
fiones post
modi. Atque
nre habitu
habitu verò
ditz action
lucta est, di
habitu verò
tranquill
fectior &
collocat
dior eo.
lis: Actio
tu, oriunt
dita affect
inclinat
habitus
egimus
perficiat

SI He
dloc

nes, circularis erit demonstratio in eodem genere causæ. At hoc cum per se fieri nequit in natura, tum prohibetur ejusdem præceptionibus. Respondetur. Concederem hoc argumentum, si actiones ante habitum, & actiones post habitum essent prorsus uniusmodi. At non hoc. Nam ipso Scaligero teste ante habitum fiebant actiones incertæ, ab habitu verò fluunt seu manant certæ & expeditæ actiones: Sine habitu & ante habitum lucta est, difficultas & molestia in agendo: Cum habitu verò & post hunc felicitas, voluptas, & tranquillitas. Actio sequens habitum est perfectior & melior habitu (quia felicitas in ea collocatur.) Actio ante habitum est imperfectior eo. Maneat igitur istud dogma in scholis: Actiones quæ fiunt jam comparato habitu, oriri ab habitu seu voluntate habitu prædita affectaq; Talis enim voluntas tantum inclinatur & adducit nos ad agendum, hoc est, habitus voluntatis hoc facit, & ex eo facilius agimus, cum per ipsum naturæ facultates perficiantur.

LXVI.

An Mediocritas sit virtutis Heroica?

Distinguitur.

SI Heroica virtus est virtus, ut certè est, mediocritatem ei adimere non possumus. Po-
fita

sita enim est inter duo vitiosa extrema: Si ve-
 rò mediocritatem opponamus excellentiæ,
 mediocritas virtuti heroicæ tribui non po-
 test. Virtus enim heroica est excitatior, habet
 ardentiores motus quàm communis, cum sit
 singulare donum Dei, quale est fortitudo in
 Achille, Alexandro M. Julio C. & aliis viris,
 quos Deus voluit excellere. His heroibus, &
 velut naturæ miraculis dedit Deus tale cor, ut
 cieri motus ardentiores & rectiores posset
 quàm in communibus naturis. Virtus contra
 communis est languidior: est ferè tantùm gu-
 bernatio externorum membrorum, congru-
 ens cum lege Dei. Differunt igitur heroica
 virtus & heroicus motus à communi virtute.

I. Causis efficientibus: Heroica virtus est ex
 præstantia naturæ, quæ est specialis actionis
 Dei effectum seu donum Dei, quod nõ com-
 paratur nostra industria vel doctrina: ut forti-
 tudo Julii Cæsaris, Alexandri Magni, erat di-
 vinus impetus, quem alii hoc dono non or-
 nati non sunt adepti. Talis est abstinencia in
 Iosepho, impudentem sollicitationem im-
 modestæ mulierculæ repudiante, in Hippolyo
 & Bellerophonte. Talis est clementia Julii
 Cæsaris, parentis victis civibus: celsitudo a-
 nimi in S. Laurentio. Huc accommodo illud
 Ciceronis: Nullus magnus vir unquam fuit
 sine afflatu divino. Virtus verò communis,
 seu

seu mediocris, seu disciplina in nostra est po-
 restate: et si hic quoque actionem Dei, (quæ ge-
 neralis dicitur) concurrere non negemus. 2.
 Subjectis. Virtus heroica est paucorum, per
 quos scilicet Deus vel Ecclesiam gubernat,
 vel artes in lucem profert, aut restituit, vel
 imperia ordinat. Communis verò ab omni-
 bus severè requiritur. 3. Formis. Heroici
 motus sunt excellentes & alacriores ac con-
 citatiores cordis impetus, qui communes vi-
 res superant, quales scribuntur fuisse *Æacida-*
rum. *Æacida*, ait Poëta, bello gaudebant
 magis, quàm convivio. Communis virtutis, e-
 jusque motus, remissior est, consistens in ex-
 terna disciplina seu gubernatione loco-
 motricis facultatis, congruente cū judicio men-
 tis. Virtus igitur heroica & humana seu com-
 munit differunt excellentia seu *ὑπεροχῆ*. 4.
 Effectis. Heroici motus solent optatum exitum
 sine longiore mora adipisci. Veni, vidi,
 vici. Sed nihil tale est in communi virtute,
 ubi sæpe optimè cogitata pessimè cadunt.
 Cic. in epistola ad Octavium. Distinguen-
 dum etiam inter motum Heroicum & virtu-
 tem heroicam: Hæc est habitus: Ille verò est
 actio divinitus, extraordinariè, seu præter
 communem ordinem excitata, quæ non po-
 test præstari, quoties nos volumus. Talis est
 motus Alexandri, sistentis fugientem exer-
 citum:

citum: Davidis, præliantis adversus Goliathum: Heliaz, interficientes sacerdotes Baal. Ac solet dici Zelus.

LXVII.

Heroica virtutes in Ethnicis ad cuius generis actionem Dei pertineant.

ARISTOTELES, doctus virtutem esse *μεσότητα*, id est, medietatem, seu mediocritatem, intelligit hanc respectu extremorum vitiosorum, non respectu graduum. Propter graduum enim differentiam virtutes sunt communes seu humanæ, vel heroicæ seu divinæ. Has, heroicæ dico, verè Christianorum seu renatorum & sanctorum in ecclesia non est dubium esse flammæ accensas in cordibus à spiritu Dei sanctificante, itaq; pertinere ad præsentiam & actionem Sanctificationis & Gratiæ, & esse donum per gratiam. Virtutes verò heroicæ eorum qui sunt extra Ecclesiam, sunt quidem etiam specialis operationis spiritus Dei, sed non sanctificantis. Talis fuit Julii Cæsaris fortitudo, quâdo cum aliis, tum contra Nervios in Gallia pugnans restituit inclinatam aciem. Talis fuit Socratis constantia. Talis fuit Divi Laurentii celsitudo animi, qui afflictionem & ustulationem durabilem ita patienter pertulit, ut non modò vocem fracti dolore animi testem, aur gestû deformem

Et Ethicorū & Christianorum heroica virtutes sunt opus divinæ providentiæ.

Modi actionis Dei duo sunt

Communis

Peculiaris

formem non ediderit: verum etiam in ipso supplicio acerbissimo tranquillo animo, quasi jocans tyrannum deriserit, inquitens, unum latus jam satis assatum est: appone igitur de illo quod vis, & comede, & reliquum latus inversum ite assa. Notetur igitur sequens distinctio.

Universalis seu generalissima operatio qua sustentat omnes creaturas, ut sint incolumes, & conservat modum agendi rebus attributum.

Causarum secundarum moderatione, qua eas obsequentes sibi facit: ut cum efficit tonitrua, grandinem, serenitatem, bellum, pacem, exilium.

In operibus extraordinariis, que miracula dicuntur.

In communicatione donorum naturalium & φυσικῶν ἀπορῶν: unde eximie virtutes exsistunt, cuiusmodi sunt acumen ingenii in Archimede: fortitudo in Alexandro M. Castitas in illa muliere, qua 20. annos pudice vixit cum marito suo non apto ad rem uxoriam, sine querelis, sine rixis, nemini hoc indicans, in magno erga virum amore & observantia.

Peculiaris seu singularis actio: qua justificat, vivificat, sanctificat, glorificat electos.

Modi actionis Dei duo sunt:

Communis

Specialior actio que
conspicitur in

LXVIII.

An qui se ipsi interficiunt, ut Lucretia, fortes dicendi sint? Ex 3. Ethicorum Aristotelis.

Negatur.

QUÆRITUR: an fortes sint dicendi non solum fontes, & morte digni sui ipsorum interfectores: sed et quoq;

-- qui sibi lethum

Infantes peperere manu lucemq; perosi

Projecere animas, quam vellent atbere in alto,

Nunc & pauperiem & duros perferre labores.

Ut cum Poëta loquar. Vulgò quidem creditur viri fortis esse mortem sibi consciscere potius, quam grave aliquod & acerbum malum perpeti. Sed falsa est hæc hominum opinio, ideoque eorum animis eximenda. Sunt enim αὐτοκτενῆς, seu qui sibi ipsi lucem adimunt, ignavi parviq; & abjecti animi habendi. Eo ipso enim, quòd sibi violentas afferunt manus, docent, se id quod fugiunt non posse ferre (quæ imbecillitas animi est) neque pares esse ei casui sustinendo, propter quem vitam exuunt. Propterea Cato frustra in historia laudatur à fortitudine. Factum ejus effeminatum potius molliciem quam magnitudinem animi arguit. Latelligebat quàm molestem futurum esset, ut Casarem suum inimicum Romæ regnantem videret, & Casar-

rianos

hæc in sum
tanti honore
operum ip
dus & captiv
pelucos. Itaq
quæ quàm
in magnitudi
tur ut fortem
sic esse pote
pæcepta sum
nita fortun
lis: sed con
tana vocat
Fissillam
Sic p
Vide L
gustinum

Quomodo a
de Fortit
volutus
nihilq;
neg, m
EX h
ma
time
suis mors e
cidere po

clanos in summa potentia collocatos, & maximis honoribus affectos: Pompejanos vero, quorum ipsi facile princeps fuerat, ut victos & captivos, insolentiam victoriæ percelluros. Itaque maluit lucem vitalem relinquere quàm hæc videre. Hoc est succumbere magnitudini concepti doloris: Non igitur est fortem esse. Fortiter ille facit qui miser esse potest, ait Martialis. Et fortitudinis præcepta sunt: Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est. Et: Tu ne cede malis: sed contraudentior ito: Quò tuate fortuna vocat. Et

Pisillum ut pariter misto terit omnia succo:

Sic patiens virtus omnia dura terit.

Vide Laur. Vallam lib. 2. de volupt. & Augustinum lib. 1. de civitate Dei.

LXIX.

Quomodo accipiendus locus Aristotelis 3. Ethic. cap. 6. de Fortitudine: Omnium rerum nihil morte horribilius. Nam omnium rerum mors est extremum, nihilq; reliquum mortuo esse videtur, neq; bonum, neq; malum.

EX hoc loco sunt, qui sic colligant: Affirmat Aristoteles, fortem virum mortem timere, quia ultimū ex rebus formidolosus mors est: Et mortuo nihil boni vel mali accidere potest. Ergo sentit Aristoteles aium esse

A 2 2 esse

Cato non est fortis, quia fractus dolore facit contra justitiam, cum se interficit.

esse mortalem. Ad obtinendum istud adducunt etiam locum ex cap. 2. libri ejusdem. Voluntas in iis etiam, quæ fieri non possunt, ut immortalitate, versatur. Ajunt: Dicit Aristoteles, possumus velle esse immortales, quod fieri nequit. Ergo animum non statuit

Sunt qui ex verbo, Videtur, suscipiuntur Aristotelem hic loqui à *ἄσβεστος* & ex opinione vulgi, non sua ipsius sententia,

esse *ἀθάνατος*. Sed facilis est refutatio. Utroutrouque enim committitur Elenchus consequentis, & à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Neutro enim loco loquitur de animo. Sed illo, de viro forti, cui quatenus est vir fortis, non verò quatenus habet animum, post mortem corporis nihil boni aut mali extrinsecus accidere potest: post mortem enim vir fortis dici & esse desinit, destructo composito. Hoc verò, de immortalitate totius hominis, quæ rectè dicitur *ἀθάνατος*, cum omnem hominem secundum corpus mori, & ita compositam dissolvi necesse sit. Sic cum in 1. Philosoph. Aristoteles Deum perpetuo, nos verò exiguo tempore felices esse affirmat, non loquitur de animo nostro à corpore separato (Is enim semper felix est vel miser) sed de homine, qui ex animo & corpore constat. Is exiguo tempore (dum vivit) est felix civiliter. Statuere autem Aristotelem, mentem hominis corrupto corpore *ὑπομένειν* permanere, ex locis multis philosophiæ ejus ostendi potest. Nec sequitur

Objekt.

tur istud : *δύνατο* est *πίεσις*. Ergo mortuo-
minò non sunt. Mors enim est omnium rerum
extremum, scilicet civilium seu mundana-
rum. Sed quid ad hoc respondendum? Tur- Solm.
pitudine est maximè formidolosa probo & ju-
sto viro. Ergo non mors. Resp. Concedes to-
tum: Aristot. enim tantum vult, mortem ef-
se maximè formidolosam, ex iis rebus, quæ
forti viro obijciuntur: ex iis item rebus, quæ
extrinsecus inferuntur. Turpitudinis autem
nostræ ipsi sumus causa & principium.

LXX.

An Ethicum seu honestum sit honorem principi viro
habere, admonitione manus ad os. Affir-
matur esse *ἀδίαφορον*.

MULTOS in salutandis potentibus aut
in honore iis habendo videmus, ma-
num ori admovere. Queritur ergo: sit-
né hoc verè *ἠδίαρον*? Resp. Hoc neq; natura,
neque lege scripta, sed tantum consuetudine,
eaq; particulari, nempe aliquorum (quam sal-
va civilitate nos possumus non sequi) καλόν &
honestum esse. Unde autem consuetudo hæc
profecta sit, nimirum à veteribus, & quidem
superstitiosis gentibus, non malè conjicere
mihi videretur M. Antonius Muretus, cujus
verba animi causa subjicio. Quod hodie in
consuetudine positum est, ut in salutandis

Aa ; potent-

potentibus, aut in honore eis habendo nostram ipsi manum ori admoveere soleamus: Id quæsitum est à me, num à veteribus quoque factitatum esset, an, ut alia pleraque, ita hoc quoque ineptè adulandi genus servilia recentiorum aulicorum ingenia excogitassent. Respondi eum morem, usque ab impia illa & ridicula veterum, qui multos Deos colebant, superstitione ductum ac propagatum videri. Solebant enim & illi, cum aut fanum aliquod præterirent, aut lignum lapidè mve aliquem aspicerent, in quo divinitatis aliquid esse opinarentur: (Neque enim villor illis temporibus ullius rei, quàm Deorum annona erat:) manum ad os referre, & tenui murmure illos ligneos aut lapideos Deos, ut sibi faverent, præcari. Ovidius:

Ece lacu medio sacrorum nigra favilla,

Ara vertæ stabat tremulis circumdata cannis.

Restitit & pavido, faveas mihi, murmure dixit

Dux meus: & simili, faveas mihi, murmure dixit.

Apulejus apologia. Nam, ut audio, percentibus iis qui istum novere, nulli Deo ad hoc ævi supplicavit: nullum tempus frequentavit: si fanum aliquod prætereat, nefas habeat adorandi gratia manum labris admoveere. Minutius Felix in Octavio: Cæcilius simulacro Serapidis denotato, ut vulgus supersticiosus solet, manum ori admovens osculam

lum labilis pressit. Quo igitur gesta illi diis suis honorem suam exhibebant: eodem nos hodie in potentibus & fortunatis hominibus colendis utimur. Hactenus Muretus lib. 10. variarum lectionum, cap. 1.

LXXI.

An ludæ scenici Scholastici, quales Comædiæ & Tragediæ, sint liciti in benè constituta polisia?

Affirmatur. Formula epistolæ, qua ostenditur fructuosum esse exhibere actiones seu dramata.

Exordium. Verè dicitur apud Sophoclem in Phylactere: Viri boni proprium esse res honestas laudare, reprehendere contrarias. Nam qui potest aliter rerum honestarum cupidissimus, à turpibus contrà alienissimus? *Narratio, cui annexa propositio.* Exquiris verò meum iudicium de vestri Poëtæ instituto, quòd singulis semestribus pias aliquot & non ad scurrilitatem comparatas actiones populo spectandas exhibet, quòd tam mihi probari scias, quàm quòd maximè. *Confirmatio ab effectis.* Difficile enim factum est, ea non probare consilia, quæ ab optimo profecta animo, ad longissimos discipulorum in literis & moribus progressus spectant. Si quis verò æquus esse velit iudex, de vestri Poëtæ consilio aliud pronunciare non poterit. Ex omnibus enim exercitiis generibus quòdnam

Aa 4 fructuo-

fructuosius fuerit, non solum studiosis adolescentibus, sed etiam imperita multitudinal, quæ hic coram, & summa quidem cum voluptate, totius vitæ humanæ cursum intuetur? Studiosi verò præter alia innumerabilia commoda tam rerum gravissimarum, quam lectissimorum verborum copiam quantam maximam hinc hauserint: quæ nullibi major esse potest quàm in elegantissimis Castalio- nis Decalogis, aliisque piis doctusque actionibus. Linguae etiam hæsitantiam, si quis cum Demosthene velit emendare, totamque rectè pronuntiandi rationem novisse, is frequenter honestis actionibus intersit, ediscendi que laborem non subterfugiat, qui uberrimis fructibus miscè compèlabitur. Non enim temerè est quod in ea Rhetoricæ parte olim historionibus usi sunt præceptoribus. Et ipse plerosque novi tam balbos, ut vel nomen suum citra titubationem non recitarent, sed hoc exercitio id assecutos esse, ut nemo plantis & intelligentius ipsis loqui videretur. Quantum verò exerceatur memoria ediscendis ad verbum quàm plurimis, optimus testis est eloquentiæ princeps Cicero in Oratore. Sunt præterea tam imbecilles plerique & timidi, ut si quid in multorum conspectu dicendum sit, adeò obstupescant, ut ne quidem sonare possint, quibus etiam non parum accesserit animi

animi hac ratione, ut apud quosvis liberè & intrepidè dicturi sint. Ad extremum *Spóματα* delectabilem affabilitatis & comitatis Ethicæ usum graphicè ante oculos proponunt. Quæ cum ita habeant, honestissimum vestri Poëtæ consilium improbare nequeo. *Complæ- Resuta- xio.*
Object. Istas quidem jam enumeratas utilitates agnoscunt multi, clamant interim, indecorum esse, & instar monstri, virum meretricis habitu ornatum in theatrum prodire, morum integritatem periclitari, quæ sola omnibus istis utilitatibus longè præponderet. Bonos enim mores corrumpunt colloquia prava. Quid verò turpius, tenerisq; auribus indignius potest excogitari, istis adolescentulorum cum meretricibus colloquiis, quæ Plautinis & Terentianis fabulis continentur? At, inquam *Solut.* ego, non est indecorum, virum repræsentare meretriculam, si id ed fiat, ut vitia meretriculæ depingantur: nec monstrum est vestes, sed mores scorti induere. Ac Terentium meo iudicio cavillantur iniquissimè, quem omnes docti tolerabilem esse arbitrantur, & propter incorruptam Latinitatis integritatem dignissimum, qui digitis atteratur. Idem iudicium esto de Plauto, qui tamen plures habet archaismos quàm Terentius. Sed valde festivus est, & ad honestam recreationem admodum accommodatus. In utroque aliquid

obscenitatis inesse concedimus quidem, sed
eam non idè proponi, ut incitemur, sed ut
sedulo pro nostra vicili parte fugiamus. Eo-
dem alioqui argumento & ipsa sacrosancta
Biblia condemnabis, quibus multa etiam ne-
faria supra, nefaria adulteria, incestus conti-
nentur. Illum finem fabularum ostendit epi-
grammum Terentii:

Natus in excelsis tellis Carthaginiæ alæ,

Romanis ducibus bellica præda fui.

Descripsi mores hominum juvenumq; senumq;

Qualiter à servis decipiantur heri.

Quid meretrix, quid leno dolis consingat avarus,

Hæc quicumq; legit sic, puto, cautus eris.

Præterea ne fortè cujusquã animus vel Plau-
tinis vel Terentianis fabulis offèndatur, sin-
gulari iudicio à vestra schola exclusas suspicor,
illis sacris actionibus in earum locum iurro-
gatis. Peroratio repetens cum argumentis proposi-
tum. Cùm itaque ex superioribus perspicuum
fit, isto exercitii genere tam rerum quam ver-
borum supellectilem adaugeri, memoriam
egregiè excoli, linguæ vitia emendari, dicen-
di quandam libertatem acquiri, morum in-
tegritatem non corrumpi, si quis per se totus
sceleratus non sit, non possum nõ vestri Poë-
tæ consiliam ab optima mente profectum
laudare.

An jus civile pugnet cum jure natura?

Distinguitur.

CICERO lib. 1. Offic. affirmat: Natura Objec.
 nulla privata esse, hoc est propria singu- An omnia
 lorum. At distinctio & proprietas rerum communis
 juris civilis est, quia ab eo recepta & appro- τῆ φύσεως.
 bata est. Videntur igitur homines sine utilita-
 tis causa suo arbitrio legem naturæ mutasse.
 Quod si verum est, naturali juri civile est ad-
 versum: præsertim cum jura naturalia semper
 firma & immutabilia per maneant, ut ait Ju-
 reconsultus. Sed Ciceronis sententia ἀπὸ λαῖς
 intellecta improbanda est. Distinctio enim Solut.
 bonorum est & naturalis & civilis juris. Et vo-
 luntaria tantum debet esse rerum communi-
 catio, prout justitia ac vera dilectio præscri-
 bit. Itaque ex Ciceroniana opinione non po-
 test demonstrari, Jus civile esse naturali cōtra-
 rium. Hoc tantum ab illo diversum est: Acut
 ars, sic jus civile imitari naturam dici potest.
 Porro certum est, Servitutem, ut opposita est
 libertati, etiam esse juris civilis. Nam servo jus
 universum civitatis adimitur. Itaque integrè sic
 definitur: Servitus est potestas Domini in ser-
 vum, qua servo adimitur & naturalis liberas
 & jus universum civitatis. Pugnat igitur hic
 jus civile cum naturali? Resp. primùm per di-
 stinctionem: Jus naturale est primævū, seu ra-
 tionis

tionis in statu naturæ integro, ut omnes homines sunt liberi: nulli servi: vel secundarium, seu ratiocinationis in statu naturæ depravato, quod ex primo invenitur ac deducitur τῆς διαφέρειδου seu ratiocinando: ut sunt jura bellorū, captivitātū, servitutum. Contrarium igitur est alicubi jus civile naturali primævo, sed ita, ut non labefactet præcepta naturalia de discrimine honestorum, & turpium. Et sic quoq; servitus juri naturali primævo contraria est, non secundario. Ex hac distinctione etiam istud solvitur: Contraria & quæ mutuo se destruunt, uno eodemq; jure censeri, unaq; causa & principio contineri non possunt. Libertas & servitus sunt adversa. Ergo cum libertas sit juris naturæ, servitus juris naturæ esse non potest. Deinde respondent alii: pugnare quidem alicubi jus civile cum naturali quodammodo propter bonum utile seu congruens & salutare præsentis statui, sed ita, ut communes notitias naturales, quæ semper bonæ incorruptibiles & immutabiles sunt, non quidem in actionibus hominum (quæ variæ & dissimiles sunt) sed in mentis judicio non evertat: ut juri servitutum, jus naturale non omnimodo corrumpitur, sed minuitur. Ad hunc modum dicere possumus, distinctione rerum aliquo modo pugnare cum jure naturæ integræ seu primævo, & hoc ipsum immi-

Genere cõ-
veniunt:
Specie dif-
ferunt li-
bertas &
servitus.

An omnia
sint naturæ
communia.

imminuere, & eatenus non posse improbari hoc Ciceronis: Naturâ nulla esse privata. Vitus Amerbachus hoc ita exponi posse existimat, ut sentiat Cicero: quando homines ceperunt esse, non unicuique naturam certum assignasse, & velut manu tradidisse possidendum, sed in tanta copia rerum quemlibet pro suo arbitrio occupasse vacuum. Quo accommodari potest illud Jureconsulti: Quæ in bonis nullius sunt (naturâ) occupanti cõceduntur. Ab hac quæstione non alienum quoque est argumentum contra præscriptionem & usucapionem, modum acquirendi res à legibus approbatum. Locupletari cum alterius jactura pugnat cum lege naturæ. Usucapio & præscriptio locupletant præscribentem cum jactura ejus adversus quem præscribitur. Ergo pugnant cum lege naturæ. Resp. ad proposit. Tunc adversatur legi naturali locupletari cum alterius jactura, cum hoc fit sine legitima ratione, & sine evidente causa jacturæ seu damni. At in præscriptione & usucapione talis causa est: tum negligentia privata: tum Bonum reipublicæ. Primum igitur negligentia ejus, qui patitur sibi præscribi à legibus, punitur. Deinde hic modus acquirendi rerum dominia introductus est propter bonum publicum, ut inquit Jurisconsultus, ne rerum dominia diu aut semper incerta essent, & ut

finis

Naturâ primo communia occupatione facta sunt privata. Object.

solue.

Jura subveniunt vigilantibus, non ignavis & stocgentibus.

In Offic.

finis esset litium. Jus igitur civile detrahit hic aliquid naturæ per accidens seu exaccidenti. Illud jus (civile dico) Cicero vocat æquabile, non quoddam æquet omnes: Sic enim non possent alii esse aliis potentiores aut ditiores, sed quoddam justitiam & æqualitatem quandam proportionalem, hoc est, æquitatem conserveat, id est, quod non sit *προσωπολήπης*, sed pari studio defendat tennes & potentes, summos & infimos, & neutris patitur ab alteris suam adimi. Itaque Aristoteles *ἀναλογικὸν* & *κατὰ ἀναλογίαν δικαίον* vocat. In usucapione æquitas patitur propter tuam negligentiam culpam tibi tuam rem ab alio adimi, qui est possessor bonæ fidei, id est, qui credit esse suam, seu verè ignorat rem alieni juris fuisse, & tempore à lege definito continuè possedit, quem bona conscientia excusat. Ita usucapio & defensio usucapientis non pugnat cum æquitate exposcente, ut cum innocentia quisque suam tueatur & augeat. Loquor autem de usucapione justa, id est, tali, in qua sunt omnia ad eam requisita: de quibus consulantur juris interpretes.

Ad Titul. 6.
lib. 2. Instit.

LXXIII.

*An captivitates, bella, servitutes, dominatus,
sint juris natura.*

JURIS

JURIS naturæ seu gentium bella, captivitates, & servitutes esse, non verò contraria juri naturæ aut malos affectus, asserimus. Primum enim cum à natura sit institutum, ut aliqui hominum præsent, aliqui obediant propter imbecillitatem, servitatem, propter ingeniorum præstantiam & dominatum, secundum naturam esse necesse est. Sed dominatum & servitatem hæc intellige animi, non corporis. Titius prudentior natura est, Sejus Aristoteles in politicis. imprudentior, ut ei opus sit consilio & gubernatione prudentiorum. Titius igitur natura dominus est, Sejus servus. Hoc declarari potest confociatione uxoris & mariti. Vir natura est prudentior & præstantior muliere. Quare ejus quasi dominus est. Dico quasi: Quia conjugalis societas propius ad civilem societatem, in qua est juris æqualitas, accedit. Idem ostenditur imperio paterno & subjectione filiali. Filii per ætatem & judicii infirmitatem non possunt sibi ipsi consulere, non possunt sibi res utiles ad vitam querere, vel conservare. Sunt igitur in potestate parentum. Deinde probatur ex eo, quod homo præest naturam animalibus reliquis, quod destituta sint intellectu, & magna ex parte hominum indigeant auxilio. Sunt igitur naturam servi Aristoteli, quibus propter naturæ humilitatem & ingenii infirmitatem opus est aliena gubernatione

Object.

tionem & dominatu. Objicis: Si dominatio est secundum naturam, servitus erit contra naturam, cum contraria sint contrariorum consequentia. Resp. Hoc darem, si dominatus & servitus essent aduersa. Non autem sunt aduersa, sed relata: quæ cum natura simul sint (posito enim relato, non potest non poni correlatum:) Sanè si à natura repetenda est causa dominatus, diuersum de seruitute statui non debet. Secundò bella, quibus arcetur iniuria, aut repetuntur res ablatae, sunt secundum naturam. Quia vim depellere, & sua repetere, naturale est. *χρήματα γὰρ ψυχὴ πείλεται διηγοῖσθαι βερετοῖσιν.* Opibus enim homines exuere, est eos quasi visceribus exuere. Deinde secundum naturam est, ut dixi, idoneos præesse, non idoneos parere. Cum igitur bellum inde oritur, quòd præesse volunt, qui non sint idonei ad gubernationem, aut non parere, qui non possunt sibi ipsi consulere, & salui esse, nisi à melioribus regantur: apparet tale bellum iustum & contrarium naturæ non esse. Terribè captiuitates hinc efficitur etiam juris naturæ esse. Nam sæpè non possunt aliter quàm vinculis & carcere cupiditates coerceri. Si uicini non vincirentur, de integro turbaturi essent multorum pacem. Ubi igitur bella sunt, ibi captiuitates quoq; esse necesse est.

AD

An civile aliquod jus sit naturale seu φυσικόν ?

Affirmatur cum Aristotele & Platone.

ARISTOTELES 5. Ethicorum cap. 10.
 Juris civilis facit species duas : Unum φυσικόν, seu πρώτον, cujus dictatrix est natura : alterum νομικόν, quod κατὰ συνθήκην seu ex legū voluntate & hominum pacto justum est potius, quàm ex naturæ dictatione : Quoddam esse naturale hinc claret, quòd jus descendit à justitia : seu quòd doctrina juris à justitia ducitur (teste Ulpiano : Nam is nomen juris pro re nomine significata accipit μετανομικῶς) hoc est, velut rivus uberrimus defluit à fonte justitiæ, cujus normam & ἀποδείξιαν in omnibus præceptis & definitionibus sequitur, & ad hanc omnes hominum actiones, dicta & facta exigit & conformat, ac theses justitiæ æquitatisque universales ad hypotheses civilis vitæ recta interpretatione accommodat & inflectit. Hoc jus ut plurimum non mutatur. Quoddam verò esse non physicum, sed humanum, legale seu νομικόν, quòd omnes actiones particulares sui ambitu complectitur, ex eo patet, quòd olim piraticam exercere non erat ignominiosum, ut postea fuit : quòd apud Lacedæmonios furari nō dabatur vitio : quòd Sybaritis luxuria & incontinentia princeps bonum erat. His adda, quòd multa, quæ justa

Bb

& honesta.

& honesta dicuntur, varietatem subeunt ex formis magistratus diversis. Multa enim licet facere in Optimatum gubernatione, seu Aristocratia, quæ non fas est facere in regno aut Democratia, id est, populari imperio. Quid? quòd procerum, locorum & temporum diversitate honestum & justum sæpe mutatur. Hoc ergo tale est non simpliciter, sed *quoad*, id est, ex decreto hominem. Sed contra jus naturale talis affertur Syllogismus. Quod naturale est, prorsus est immutabile, ut ignis non potest non urere: quia naturale agens est. At jura quotidie mutantur, & quidam populi sunt *ἀνθρωπογενή*, quidam non. Ergo jura non sunt naturalia. Respon. Prop. est falsa. Quædam enim naturalia sunt simpliciter immutabilia & necessaria, ut anni vices, perpetui siderum cursus: quædam verò sunt aliqua ex parte & quodammodo necessaria, ut sublunaria, quæ aliquando mutantur: quod ostendunt pluviz, nives, monstra. Deinde resp. ad assamtionem. Sant gradus juris naturalis. Nam præcepta juris naturæ de discrimine honestorum & turpium sunt immutabilia: nunquam enim turpe fit honestum, aut contrà. Atque hæc sunt summa juris præcepta. Alia sunt inferiora, quæ mutari possunt: ut est præceptum de communionem rerum. Hæc enim in hac depravata natura servari non possunt.

Objec.

Resp.

Jus naturale
ita est im-
mutabile, ut
inter noti-
tias natura-
les gradus
quidam sint,
in quibus
inferiores
cedunt supe-
rioribus.

test. Huc pertinet etiam servitus, bellum & similia, quæ usu ex gente introducta sunt. Porro quemadmodum dextera manus naturâ valentior est sinistrâ in plerisq; hominibus reperiuntur enim qui sinistra perinde ac dextra utuntur: Sic etiam naturale justum illud est, quod apud eas nationes, quæ ex ratione vivunt, ut loquitur Theoph. quæ politioem vitæ rationem sequuntur, neq; barbaræ sunt & feris similes, pro jure habetur, quodq; omnes sanioris mentis homines communi rationis ductu sequuntur. Quamvis autem nihil veter, hoc ipsum quoque jus ex varietate circumstantiarum variari, ut plurimum tamen justum erit. Magis autem mutabile & varium est νομικόν seu legitimum jus (ut mensuræ frugum valde variant) propter hominum imperitiam & humani mentis cæcitatem. Id quod inde perspicitur, quod non est apud omnes eadem respublica: Hæc ubi est optima & naturæ consentanea, ibi necesse est, ut jura quædam sint naturalia: quædam νομικὰ seu positi-
va, ut vocant, id est, constituta. Sed inquis:

Objec.

An jus civile Romanū congruat cū jure naturæ.

Resp.

Nallum jus, quod à jure naturali discrepat, est approbandum. Jus civile νομικόν discrepat alicubi à jure naturali: non per omnia servit & consentit ei. Ergo non est approbandum. Respond. ad minorem. Jus civile non discrepat simpliciter à jure naturæ, sed quod jus

Bb 2

naturæ

naturæ dictrigenere, id jus civile quasi per species explicat, & ad varios vitæ humanæ casus & factorum themata accommodat, vel detrahendo aliquid juri naturæ, vel adimendo, ut utilitas salusq; publica postulat: ut Jus naturæ jubet depositum reddere. Huic generali præcepto primam detrahit jus civile, quia non semper concedit reddi depositum: ut cum furiosus gladium depositum reposcit, jus civile Romanum non concedit reddi propter bonum publicum. Deinde addit interpretationem hujus generalis præcepti juris naturalis per circumstantias, scilicet quando & ubi depositum reddere conveniat. Tale & hoc est: Nihil est justum, quod juri naturæ est contrarium. Servitates sunt juri naturæ contrariæ: libertas enim est juris naturæ. Ergo servitates non sunt justæ. Respon. ad majorem propositionem per distinctionem. Ea justæ non sunt, quæ τὸ καλῶν & notitia naturalibus seu præceptis de discrimine honestorum & turpium adversantur, non illa quæ propter τὸ συμφέρον, id est, bonum utile salva honestate contra naturalem constitutionem in hoc corrupto hominum statu vigent. Cùm igitur servitates propter bonum utile, & ut Justin. loquitur, propter necessitates humanas rationatione introductæ sint, non prorsus injustæ censeri debent. Sed notitia practica discriminis

Vid. Cic.,
offic.

Object.

Solut.

Moralia æterna sunt seu perpetua: Utilia sunt mutabilia.
Object.

minis honesto
ro videtur
(Roman
nos: Laced
intervenien
que cum 7
pocum e me
suzena ad
infantes, f
que asse
notitia ill
perpetua
fco secu
Manit
storum
pitudini
marito,
traria leg
cium ra
naturam
practica
les: Q
in aliq
contra
demon
miseru
re neq

minis honesti & turpis non esse naturalis, ex eo videri possit alicui, quod sæpè mutata est. (Romani enim admiserunt ludos gladiatorios: Lacedæmonii permiserunt adulteria interveniente pacto cum marito: quod pignat cum 7. præcept. Decalogi: Mancipia per jocum è medio tollebant: quæ crudelitas seu laniena adversatur 6. præcepto: exponebant infantes, si qui deformes essent aut debiles, quæ ἀσχημία etiam magna ἀνομία est.) Vel si notitia illa naturalis est, mutabilis est, nec perpetua dici potest. Respon. Est fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Mansit enim in intellectu discrimen honestorum & turpium, dictitans pactiones turpitudinis cum alterius conjugè, consentiente marito, adulteria, homicidia, & furta esse contraria legi naturæ: Sed voluntas contra iudicium mentis eligit ea, quæ suaviter afficiunt naturam corruptam. Nego igitur, notitias practicas esse mutatas, vel etiam non naturales: Quia tantum assensus & executio earum in aliquibus hominibus non sequitur propter contrarias cupiditates: & legislatores Lacedæmoniorum contra iudicium mentis permiserunt quædam flagitia, quæ prorsus tollere nequiverunt.

Solutio.

An omne justum sit justum simpliciter?

Negatur.

CUM quædam frequententur in Politis, quæ injusta alicui videantur, quæritur: An omne justum sit absolute justum. Id verò merito negatur. Quædam enim justa sunt ex sequera contingentia, ex avariâ, non necessaria: Id quod Aristoteles quoque docet disertè 3. cap. .Eth. Nicomach. Habent enim tantum probabilem rationem, & possent aliter constitui. Exempli causa: Jure consuetudinis pessimè per imperium Romanum in successione feudorum excluduntur fœminæ, ita, ut præter dotem eis nihil detur. Hoc in speciem iniquum videtur, & pugnat cum æquitate naturali, quæ requirebat, ut fœminæ cum masculis in bonis paternis pariter succederent. Sed quia jus illud seu consuetudo (quæ lex avariæ) probabilem habet causam, propter bonum publicum, iniquitas illa dissimulatur. Interest enim Reipub. ut militem habeat, quem bonis feudalibus tanquam autorameto & stipendio annuo sustentet, ut quoties opus sit eo uti possit. Masculi igitur qui ad arma tractanda, quibus patris focis atque defenduntur, facti sunt, merito fœminis, ad lenam & colum natis, in successione horum bonorum præferuntur. Jure positivo fures capitali

Publica privatis antefacienda bonis.

capitali sup
victur, & vici
nam & vici
penam hanc
rationem pro
in infinitum
de sunt par
fibus no
nere: Est
cens ad ju
oz prob
tam. Qu
pugnet
plus no

TR
r
mus.
Aspe
milit
Mag
sto, v
inter
nand

capituli supplicio afficiuntur. Injustum hoc videtur, quod nulla sit proportio inter pecuniam & vitam: ideoq; nec inter delictum & pœnam hanc. Sed valet hoc jus propter rationem probabilem, quæ est, crescentibus & in infinitum grassantibus delictis, exasperandæ sunt pœnæ. Capituli pœnam jus naturale furibus non decernit, sed tantum dicit in genere: Furta sunt punienda. Jus positivum recens ad jus naturæ addit circumstantiam pœnæ probabili ratione non necessariò definitam. Quid verò, si lex constituta ex diametro pugnet cum Decalogo? Tum vim legis amplius non habet.

LXXVI.

An verè dictum sit: Summum Jus, summa injuria?

Affirmatur ~~verè~~ n.

TRITUM sermone proverbium est: Summum jus, summa injuria. Quod quomodo accipiendum, de eo punctim agemus. Ut Æquitas opponitur duobus vitis: Asperitati, nimiaque vehementiæ: & calumniantis: Ita Summum Jus dupliciter accipitur. Magis propriè pro stricto jure seu rigido justo, vel judicio, sine mitigatione, quam legislator admitteret propter aliquam non aspernandam circumstantiam: ut cum adolescens

Bb 4

sanabili

sanabili ingenio furtum inopia committens strangulandus judicatur. In hoc casu æquitas jubet pœnam mitigare aut omninò remittere. Lex enim præcipuè contra multiosos fures lata est. Secundo accipitur strictū & summum jus pro calumnia (quæ est cavillatio & versuta solertia) seu malitiosa juris interpretatione, unde legum contortores & detortores dicuntur. Huc pertinet istud: Ex æquo & bono, non ex collido versutoq; jure rem judicari oportet. Non enim ea data est potestas judici, ut neglectis circumstantiis in eo facto, de quo sententia ferenda est, sua calliditate exasperet aut laxet legem. De utroq; igitur non dubitò sic pronunciare: Illud jus, & quod est versutè detortum, & quod acerba severitas vehementius astringit, nomine quidem jus, sed re vera non est. Estne ergo, inquis, aliqua lex iniqua? Respondeo affirmatè, si ad justitiæ utilitatem descripta contra illam interpretatione duriore detorqueantur. Sic *à xp̄i Cod. Siquor* (id est, severitas seu rigor juris) per accidens injustum est, nempe cùm tanquam ad vivum refecatur, & observatur in eo casu de quo scriptum seu lex principaliter non loquitur. Per se verò *à xp̄i Cod. Siquor*, stränge recht / seu severa justitia est virtus opposita crudelitati, observans scriptum in eo casu, de quo lex scripta principaliter loquitur: ut lex de furti pœna, loquitur

Quæstio cū
solutione.

tur de furto petulanter facto, & ab eo cujus ætas jam judicare potest. Hic igitur justitiæ severitas est exercenda.

LXXVII.

An Justitia legalis seu Universa & Virtus differant inter se?

ARISTOTELES 5. Ethic. agens de Justitia, Justitiam universam vocat omnium virtutum conjunctionem, sicut per Injustitiam universam intelligit omne vitium. Object. Si igitur, inquis, Justitia universalis est omnis virtus, ejus tractatio fuerit supervacanea. At primum. Prorsus enim nihil differt à virtute. Ergo & secundum. Resp. Connexum est in- Solutio, firmum, & assumptionis probatio falsa est. Aliquid enim, inquit Aristot. interest inter virtutem & Justitiam universam. Est eadem illa quidem, sed ejus essentia non est eadē, verum quā habet respectum ad alterum, Justitia est. Quā talis quidam habitus est, absolute virtus est, hoc est: Quatenus virtutes ad habentem referuntur, sic & subje&ti circa quod versantur, & *δεξιόν*, hoc est, subje&ti recipientis, id est, animi (cujus habitus sunt) respectu variis particularibus nominibus appellatur, ut fortitudo, temperantia. Quatenus verò communem spectant, seu societatem politicam, & ad alios quoq; pertingunt, ac ita sunt bo-

Bb 5 - num

num ἀλλοτρίον (alienum:) sic Justitiæ universalis seu legalis ambitu comprehenduntur. Hęc (quod silentio hęc involvendum non est) id eò dicitur necessaria per accidens, quia cives tantum bonos efficit: particularis verò justitiæ (quæ suum cuiq; tribuit) per se necessaria dicitur, quia viros bonos efficit.

LXXVIII.

*An Particularis & universalis Justitia dicatur
Justitia ὁμωνύμως ?*

ARISTOTELES lib. 5. cap. 2. Eth. Justitiam ait & injustitiam πλεοναχίς λέγεται multis modis dici, ita tamē, ut homonymia illa, id est, communitas nominis, & definitionis ejus diversitas, sit obscurior & minus apparens. Injustus enim dicitur & is qui legibus non obtemperat: & is qui æqualitatem negligit. In quarto verò cap. Justitiæ universali, quæ eorum quendam omnium virtutum complectitur, ac cives bonos efficit, & particulari, quæ viros bonos reddit, ait nomen justitiæ univocè convenire, id est, secundum nomen & rem. Hęc non pugnant inter se. Univocè enim seu synonymos dicitur & universalis & particularis Justitia vel injustitia, si spectes communitatem hanc, quò utraq; ad alterum refertur: seu propter communiæ genus, id est, quòd conveniunt in communi genere

ni genere (relatione ad alterū) erunt synonyma. Equivocè verò attribuetur universali & particulari nomen justitiæ, si ut re ipsa differentes consideres, & ut illa suam, hæc item suam seu propriam habet rationem & naturam. Diversa ista *quæ* etiam habet locum in aliis: ut duo Ajaces sunt homonymi, & tamen aliquo modo synonymi: quia non differunt *ut* *Neay* seu totis speciebus, sed sunt ejusdem speciei seu generis: quia uterq; est homo.

LXXIX.

An divisio Justitiæ in particularem & universalem bona sit?

Affirmatur.

SUNT, quibus non probetur distributio Justitiæ in generalē seu universalem & particularem. Li juvari possunt hoc argumento: Membra dividentia ita inter se afficta esse debent, ut neutrum in altero includatur. Non est dividendum animal in hominem & Catonem, quia Catonem homo amplectitur. Non est dividendum corpus in caput & os: quia os in capite includitur, ut pars in toto. Jam verò Justitiæ particularis inclusa est in universali. Qui enim justus est particulari Justitiæ, non continud est justus Justitiæ universali. Sed qui justus est Justitiæ universali, est etiam justus particulari. Ergo distinctio hæc
Justitiæ

Object.

Solut.

Justitiæ non est bona & legitima. Responſio
 hic tenenda est. Similis objectio est huic: Li-
 nea includitur in lineato, principium in prin-
 cipiato, elementum in orto ex elementis, u-
 nitas in multitudine. Ergo vitioſæ ſunt divi-
 ſiones: Magnitudo est linea vel lineatum.
 Corpus naturale est elementum, vel ex ele-
 mento compositum. Numerus est unitatis
 vel multitudinis. Reſpigitur ad prop. Mem-
 bra diviſionis ita comparata erunt, ut neu-
 trum in altero includatur, ſcilicet formaliter.
 Ad aſſumt. Particularis juſtitia includitur ſeu
 continetur in univerſali, ſcilicet materialiter.
 Ad probationem aſſumptionis dico: Qui ju-
 ſtus est juſtitia univerſali, non est juſtus præ-
 ciſe & tantum particulari juſtitia. Sicigitur
 ſunt membra oppoſita. Declarari poteſt ſo-
 lutio Uno. Unum poteſt conſiderari duplici-
 ter, ſicut quælibet ſpecies numeri. Primò, ut
 habet propriam formam ſeu rationem for-
 malem diſtinctam à quacunq; alia forma: Sic
 ut poteſt conſiderari corpus ſecundum pro-
 priam eſſentiam & formam, quæ est ipſum *σωματικόν*,
 (Barbari corporeitatem appellant)
 diſtinctam differentemq; à forma animati.
 Secundò, unum poteſt conſiderari non ſe-
 cundum propriam formam naturamq; ſed
 ut poteſt eſſe pars alterius, & includi in alte-
 ro: Sicut & corpus poteſt conſiderari nõ præ-
 ciſe

clisè secundum propriam formam, sed ut est
 in potentia) ut loquuntur Scholastici) ad ul-
 teriorem formam, puta ad formam animati.
 Et ita potest esse pars animati, & quidem est
 ejus materia. Unum sumtum primo modo
 contrariè opponitur multitudini. Ergo nu-
 merus potest dividi in numerum unitatis &
 multitudinis. Antecedens probo: Unum sum-
 tum primo modo & multitudo habent ratio-
 nes formales seu definitiones differentes. Er-
 go ita opponuntur. Consequentia per se pa-
 tet. Iterum igitur antecedens probo. Ratio
 formalis Unius est esse Ens indivisibile: Mul-
 titudinis autem est, esse ens divisibile. Constat
 autem divisibile & indivisibile opponi Unum
 verò sumtum secundo modo non opponitur
 multitudini: quia ita includitur in multitudine.
 Est enim multitudo constitutum quid ex
 unitatibus. Sed nullum oppositum includitur
 in suo opposito, nec ipsum constituit. Hinc
 igitur ratione Numerus non dividitur in nu-
 merum unitatis & multitudinis. An autè uni-
 tas sit verè & propriè numerus necne, nihil
 interest ad præsentem disputationem. Nunc
 tantum numerum esse sumo vel postulo. Dif-
 ferre autem formaliter Justitiam universalem
 & particulare, hinc manifestum evadit, quòd
 universalis in singularibus hominibus est, de
 sententia divini Platonis 4. de Rep. *ἰσομετρία*
 & *ἰσότης*

& συμφωνία illa virtutum, cum omnes affectio-
nes & cupiditates recte rationis imperio ob-
temperant, ac unusquisq; omnia vitæ officia
sapienter, graviter & constanter obit, totus
omni virtutis laudisq; genere cumulatus: In
republica verò est ἐνταξία moderati imperii,
id est, iustitia civitatis univèrsa est, ut inter ἀρ-
χόντας & ἀρχαίους (magistratum & subditos) sit
concordia & temperata ἰσοδοξία, & omnia ge-
rantur cum constanti quadam ἐνταξία. Parti-
cularis verò ἰσότης seu æqualitatem observat
in tribuendo cuiq; quod suum est, Aristote-
les 5. Eth. ca. 9. Sic iniustitia univèrsa est παρ-
νομιον aliquid discrepans à lege: particularis est
ἀνίσον (inæquale) Aristoteles lib. 5. Eth. cap. 5.

LXXX.

Ἄν πρὸς ὅσα πολλήν ψία sit inæqualibus dare æqua-
lia, & aequalibus inæqualia?

Respectu quodam datur.

PROSOPOLEPTES est qui habet respec-
tum personarum, Prosopolepsia est per-
sonarum respectus. De hac Act. 10. &
Rom. 2. πρὸς ὅσα πολλήν ψία παρὰ τῶ θεῶ ἴσ. Et D.
Jacobus πρὸς ὅσα πολλήν ψία, personam respicit.
Hoc vitium pugnare cum Iustitia certum est.
Quid verò propriè sit, queritur: Est né Matth.
10. πρὸς ὅσα πολλήν ψία & iniustus patet familiàs qui
inæqualibus tribuit æqualia, ut mercedem
denarii

denarii singulis, quamvis inæquali temporis spatio laborassent? Non est: Sed justitia est in promissi seu conventionis præstatione. Solvo, inquit paterfamiliâs, tibi promissum denarium. Ergo non facio tibi injuriam. Si in repub. pari loco haberentur & honore, sapiens senator, & insulsus agricola, vel sordidus cerdo, essetne hoc factum *προσωποληψίας*? Non esset propriè: sed *ἀνισον* tamen, id est, pugnans cum justitia distributiva. Quid ita? Quia in προσωποληψία consideratur circumstantia personæ præter & extra principè causam: ut judex est προσωποληψης, cum adulterum potentem & divitem absolvit considerata potentia aut opum eminentia, cum interim pœna afficiat minùs potentem adulterum propter ejus vilitatem. Cur judex non est *προσωπολήπιος*? Quia æqualis est erga omnes æqualiter se habentes, nec inflectit regulam justitiæ, pronunciatve iniquam sententiam propter personæ dignitatem, opes, gratiam, cognationem. Cur Deus non est προσωποληψης? Quia æqualis est erga omnes populos Judæos & gentes toto orbe æquales. Accusat & damnat voce legis peccata in omnibus: Recipit immensa bonitate quotquot ad filium confugiunt. In omni gente qui timet eum & operatur justitiam, acceptus est illi, Actorum 10. atq; ita æqualibus æqualia tribuit

sine

Si Deus in gratia recipet potentem regem Davidè verbo Evangelii assentiens: Infirmis vero Lazarum etiam verbo Evangelii assentiens & fiducia mediatoris se sustentans abjiceret, esset προσωποληψης.

sine respectu meritorum, sexus, patriæ, propagationis carnalis, certi generis vitæ: Si Deus non tam puniret Saulem regem, quàm Judam proditorem Christi hominẽ obscurum: Si non tam reciperet latronem in cruce pendentem ad se conversum, quàm regem Manasse respicientem: Si non tam puniret nobilem virum potentem, quàm servum ignobilem utrunq; sceleratum: quæro an non esset profopoleptes? Sanè esset. Profopolepsia igitur hinc est æqualibus dare inæqualia. Si Deus respicientem piscatorem reciperet in gratiam: Saulem verò regem non respicientem etiam reciperet: quæro, an non esset profopoleptes? Sanè esset: profopolepsia igitur hinc est inæqualibus dare æqualia. Cur igitur non est profopolepsia Matth. 10. pro inæquali labore mercedem æqualem reddere seu distribuere? Quia hinc spectatur inita conventio & promissio: (paterfamiliàs plus nulli debebat, quàm denariũ:) spectatur patrisfamiliàs gratia ac misericordia: non dignitas operis, non meritum. Paterfamiliàs ille bonus est (ut ipse ait) benefaciens omnibus quotquot beneficit, ex gratia, sine cujusquam vel personæ respectu vel operis dignitate. Ergo non est profopoleptes. Ex his statuatur, profopolepsiam esse: cum æqualibus inæqualia, & inæqualibus æqualia dantur, respectu circumstantiæ alicujus

alicujus attingentis quidem personam, sed ad rem seu causam ipsam non facientis: ut cum dat veniam corvis, vexat censura columbas: cum Sejus fur dives dimittitur: Titius fur pauper suspenditur. Hic enim magis favetur Sejo, quàm Titio, non ob ipsius rei (id est, peccati) sed personę discrimen, cum propter paupertatem Titius potius, quàm Sejus, favore vel venia dignus sit.

LXXXI.

An Justitia sit constans & perpetua voluntas, &c.

Affirmatur.

VIRTUS valdè languida est & quia potius virtutis in omnibus ferè hominibus in hac misera natura. Sed nihilominus germana forma & Idea, seu solida expressiq; effigies virtutis menti proponenda est: quæ, si oculis cerni posset, mirabiles sui amores in nobis excitaret. Rectè igitur definitur Justitia particularis à Simonide: Est constans & perpetua voluntas suam cuiq; tribuendi. Sententia enim est verissima: Justitia est firma proærelis, seu constans decretum, seu firmum propositum voluntatis humanæ, ut suam cuique tribuat. Genus igitur in definitione ista est *ἰσότης*, pro habitu *ἰσότητος*. Talis justitia esse in aliquibus hominibus potest, propter

Ad virtutem tria requiruntur: rectum ju-

Cc fortio-

dicium, li-
bera cle-
dia & con-
stantia.

Medium
officium
in nos ca-
dit, non
ag. leg. supra.

fortiorem cogitationem de lege, firmiorem
assensionem cordis, temperamenti bonita-
tem, & assuetudinem. Sic & castitas est con-
stantis perpetuaq; voluntas vitandi omnes va-
gas libidines & commixtiones à Deo prohi-
bitas. Talis voluntas est quodammodo in Sci-
pione: quia cogitatio in eo de lege fortior est,
& hæc transmittit ad cor fortiores in id im-
pressiones per spiritus. 2. heroica in eo na-
tura vis est: physicum temperamentum cor-
dis non æstuat in eo, sed minus calidū & pla-
cidius est. 3. assuetudo confirmat cogitatio-
nem. Major igitur est in Scipione cordis sta-
bilitas, quàm in aliis multis. Sed longè major
in iis, in quibus est flamma seu lux accensa à
Spiritu sancto, ut in Josepho. Sic verum est de
Idea, id est, integra dilectione, & non conta-
minata: Dilectio est impletio legis, et si in hac
imbecilli natura nos integrum ardentem pu-
rumq; amorem Dei & proximi non habea-
mus. Exempla autem insignia virtutum Ethic-
arum sunt, Fabricius Aristides, Ulysses: qui
inuitatus à Sirenibus (quarum, teste Homero,
in cantu tanta fuit vocū suavis, ut ad earum
saxa homines adhærerent,) eas præterit
ad malum navis alligatus, auribus sociorum
cera obstructis. Malus navis significat ratio-
nis in cordis non rectos impetus firmam &
moderatam dominationem. Cera, obstruens
aures,

maures, significat disciplinam & diligentiam in
vitandis illecebris.

LXXXII.

Justitiæ an prudentia τὴ σωφροσύνη seu pri-
ma debeantur?

JUSTITIA, quoddam alterum referatur, o-
mnium *κρατίσι* seu præstantissima videtur
esse, ait Aristoteles lib. 5. Ethic. cap. 1. Idq; ex
sententia Platonis, qui 4. de Repub. inter qua-
tuor principes virtutes supremam facit justiti-
am, quam in harmonia, concordia & con-
sensu omnium animæ partium eruditè con-
stituit. Sed Aristoteles differens ex propria
sententia, prudentiam potius virtutum prin-
cipem statuit, quod & Plato facit 3. de legi-
bus. Hæc igitur discordia quomodo videtur
tibi componenda? Propter diversum respec-
tum utrunq; tueri possumus. Si effectus præ-
clarissimus longèq; præstantissimus Justitiæ
perpendatur in politica conversatione tuen-
da, justitia certè princeps erit. Hæc est *σωφροσύνη*
salus, *ὑγίεια, κάλλος, εὐδαιμονία* deniq; sanitas, vita-
que & animi & reipublicæ. Plato 4. de Rep.
Sin verò efficiens causa actionum justitiæ,
nempe *ὁρθὸς λόγος* recta ratio spectetur: pri-
mas obtinebit prudentia. Hujus auspiciis cæ-
terarum virtutum choro comitatæ felix est
republica. Plato 3. de legibus.

Platoni vir-
tutis regi-
na est pru-
dentia,
Σοφίας
*ἡγεμὼν ἀσ-
φαλῆς.*

Et a

Virtutum

LXXXIII.

Utrum quicquid iustum est, congruat ad analogiam arithmetica[m] vel geometricam?

Ubi de proportione Harmonica.

BODINUS doctiss. Iureconsultus, historicus & philosophus acurè statuit, legem, quæ omnibus eadem est in civitate, congruere ad proportionem arithmetica[m]: Æquitatem ad geometricas rationes: Justitiam ad harmonicam rationem: quod ut hæc ex arithmeti[c]is & geometrici[s] rationibus fit: sic quoque justitiæ ex lege & æquitate coalescat. In doctrina igitur politica rationis non tantum Arithmetica & Geometrica, sed & Harmonica mentio utilis esse videtur. Ratio Arithmetica, à qua justitiæ commutativa (*συμμετρική*) dicitur, semper æqualitatem spectans, facta factis, res rebus sine personarum delectu cœquat. Ea potissimum elucet in rebus creditis, in mutuo, in pignore, in composito, in deposito. Ratio Geometrica, à qua justitiæ distributiva (*διανεμητική*) similitudinem, non æqualitatem spectat. Harmonica, quam diximus, ex Arithmetica & Geometrica coalescere, unde & talis quædam justitiæ, æqualitatis & similitudinis conjuncta ratione causas definit. Exemplum Geometrica est in l. capitalium, §. in servorum, ff. de pœnis. Ex quibus

quibus causis liber fustibus cæditur, ex his ser-
 vus flagellis cædi, & domino reddi iubetur:
 & ex quibus liber fustibus cæsus in opus pu-
 blicum damnatur, ex his servus sub pœna vin-
 culorum ad ejus temporis spatium flagellis cæ-
 sus domino reddi iubetur. Si sub pœna vincu-
 lorum Domino reddi iustus non recipiatur,
 venundari, & si emptorem non invenerit, in
 opus publicum, & quidem perpetuum trahi
 iubetur. Exemplum harmonicae est lib. 4. Co-
 dic. in l. eos de usuris. Super usurarum quan-
 titate generalem sanctionem facere necessa-
 rium esse duximus, veterem duram & gravis-
 simam, & earum molem ad mediocritatem
 deducentes. Ideoq; jubemus illustribus qui-
 dem personis minime licere ultra tertiam par-
 tem centesimæ, usurarum nomine in quo-
 cunq; contractu, villi vel maximo, stipulari: Il-
 los verò qui erga steriliis præsumt, vel aliqua
 licitam negotiationem gerunt, usq; ad bessem
 centesimæ usurarum nomine in quocunque
 contractu suam stipulationem moderari. In
 trajectitidis autem contractibus, vel specie-
 rum fœnori dationibus usque ad centesimam tan-
 tummodo licere stipulari, nec eam excedere
 licet veteribus legibus hoc erat concessum.
 Ceteros autem omnes homines dimidiam
 tantummodo centesimæ usurarum nomine
 posse stipulari, & eam quantitatem usurarum

etiam in aliis omnibus casibus nullo modo ampliari, in quibus citra stipulationem exigi usuræ solent. Est autem proportio Arithmetica quædam *χέσις* (habitus) qua termini qualiter sese excedunt: ut 6 ad 8, sic 12 ad 14. Excessus utrobique est binarius. Geometrica est rationum similitudo: ut 6 ad 3, sic 8 ad 14. Utriusque ratio est dupla. Harmonica est, cum major terminus ad minimum ita se habet, ut differentia maximi supra medium ad differentiam medi supra minimum. Hanc proportionem servant, 6, 4, 3: Utrumque enim 6 ad 3: sic 2 differentia senarii supra quaternarium ad unitatē, qua differunt 4 à 3: Ita 12, 6, 4, proportionem servant harmonicam, quæ tripla est, cum inter extrema, tum inter excessus seu differentias. Harmonica igitur proportio habet aliquid commune cum Arithmetica & Geometrica. Nam & differentia in ea considerantur, & rationum similitudo. Et quamvis potissimum consideretur in tribus terminis, nihil tamen vetat, quò minus in pluribus etiā constituantur: Non tamen omnis. Sunt enim, quæ tribus tantum terminis clauduntur: ut hæc, 2, 3, 6. in plures terminos extendi nequit. Aliæ proportionales innumerae possunt continuari: ut docet cubus, qui cum 6 habeat superficies, & 8 angulos solidos, 12 latera, & 24 angulos superficiales, pulerè nobis harmonicam proportionem

Deus in
collectione
Electorum
ex genere

portionem
corrigi
metricam, ge
magi; ut in
tunc termin
sed, prop
Sunt enim i
2, 3 & 6,
dunt: 12 v
libent. V
etiam su
lum octo
equalita
aliquando
maniore
runc non
Ecclesiaz
beralitat
synagog
confere
qualiter
Etant e
sterii, &
quor se
vidue t
historia
ricudine
nam ad

portionem proponit hanc 6. 8. 12. 24. Porro contingit has proportiones omnes (arithmetica, geometrica, harmonica) conjungi; ut in modò proposito exemplo quatuor terminorum 6. 8. 12. 24. Nam 12 ad 9, & 8 ad 6, proportionem habent geometricam.

Sunt enim in ratione sesquicertis, ($1\frac{1}{3}$). At 12, 9 & 6, Arithmetica proportione procedunt: 12 verò, 8 & 6 harmonicam rationem habent. Ut enim 12 ad 6: Sic & excessus duodenarii supra 8, id est, quaternarius ad excessum octonarii supra 6, id est, binarium. Hujus æqualitatis, nimirum harmonicæ, exempla aliquando suppeditant etiam mitiores & humaniores virtutes, liberalitas & gratitudo, ut nunc non dicam eam conspici in collectione Ecclesiæ per vocem Evangelii. Quod ad liberalitatem attinet, non necesse est præsidem synagogæ, qui in publico erat munere, plus conferre, quàm cives alios. In multorum inæqualium & dissimilium liberalitate, dum spectant eundem finem, conservationem ministerii, & sollevationem pauperum, est τὸ ζῆλον seu æqualitas consonantiæ. Idem obolus viduæ non minus prædicatur in Evangelica historia, quàm liberalitas Zachæi. Sic in gratitudine is qui accipit beneficium obligatur sum ad hoc, ut agnoscat & celebret suum

Ce 4 bene.

humane harmoniam: In oblatione salutaris arithmetica:

(offert enim eam omnibus) In distributione corporaliū bonorum geometricam proportionem servat: Neque enim eadem mensura dat omnibus divitias, honores, &c.

In liberalitate & gratitudine requiritur harmonica saltem æqualitas.

benefactorem: tum ad officia mutua *δυνατά*, id est, quæ præstari possunt. Nec enim semper requiritur æqualitas arithmetica: quæ quidem iusta est: sed sæpenumerò fieri à nobis non potest. Neque etiam geometrica: cum & hæc non semper sit possibilis. Sufficit igitur consonantia in voluntate: ut in græco dicitur versu: *χαίρων δὲ τε δυνάσ ἀφισος*. In Aristotele igitur Geometrica proportio *παρατακτός*, seu, ut loquuntur, cum latitudine aliqua accipienda fuerit, ut Harmonica in ea contineri intelligatur.

LXXXIII.

An Iustitia commutativa & arithmetica æqualitas in contractibus tantum usum habeant?

Negatur.

IUSTITIA *συμμετρίκη* dicitur, nō quod tantum habeat locum in contractibus & *συμμετρίων*: sed quod maximè in his spectetur. Usum igitur habet, ubi cunque est rerum æstimationo aut compensatio: ut in iudiciis, in quibus non modò damni & lucri, sed etiam delicti & poenæ sit æstimationo. Sicut fit in poenæ rationis, quæ hodie servatur in puniendis homicidiis. Qui enim humanum sanguinem effudit, ejus sanguis vicissim effunditur. In cæteris delictis æqualitas ferè quaritur ex proportione geometrica. Dicitur autem Tallo

ARTIV.

ἀντιπεποιθός, id est, reciproca permissio, & descriptur hoc Rhadamanti: Justa malis hæc admisso pro crimine pœna est: Ut, quæ fecerunt aliis, patiantur & ipsi. Vide Aristotelem 8. cap. 5. Eth. 1.

LXXXV.

An aliquis sibi ipsi faciat injuriam?

Negatur.

NEMINEM propriè sibi ipsi injuriam facere, sed alii, disputat acutè Aristoteles contra Platonem, qui sentit, neminem erga alium esse injurium, nisi prius sit erga seipsum injurius. Sententiæ Aristotelis hoc præter cætera patrociniatur: Ut suæ conjugis nemo est adulter, sed alienæ: ut nemo suarum facultatum fur est, sed alienarum: Sic nemo vim aut fraudem facit sibi ipsi, sed aliis. Quid igitur, qui suspectam voluntatè uxoris suæ tentaturus sollicitat verbis alterius? Omnino ille tentator, quia alienam personam induit, ut alienæ pudicitia insidiatur. Quid, qui obæarus, seu multa debens, suam tabernam effingit, & aufert merces proprias? Omnino hic fur suarum mercium aufert aliena, cum fraus ista ad alios pertineat, quos frustrari conatur. Cui igitur injuriam faciunt *αὐτόχρητες*, id est, qui sibi ipsi violentas manus inferunt? Resp. Civitati, quæ eadè amittit civem. Cui verò injuriam

Ce 5

juriam

injuriam infert sediciosus, improbus, immanis vir, seipsum interficiens? Resp. Etiam Civitati, cum eripatur ei copia justæ animadversionis, & pœnæ. Sed præterea etiam Deo, ut Plato in Phædone disputat, injuriam inferunt sui ipsorum interfectores. Cum enim contra voluntatem Dei de sua quasi statione, in quam collocatus est, discedatis, qui sua sponte è vita excedit, hæc injuria & ignominia ad Deum pertinere videtur. Contra Stoicos. Accipit autem (ut, unde sit dissensio inter summos philosophos intelligatur,) aliter Aristoteles injuriam quam Plato. Injuriam facere, seu *admirari* Aristoteli est sponte sua alicui contra illius voluntatem nocere. Hæc externa injuria est. Sed Platoni præterea injuriam facere est, rationem appetitui subicere, frenos laxare cupiditatibus, indulgere affectibus. Hæc est interna injuria, qua quis adversus potlorem ac nobiliorem sui partem (rationem) injurius est. Hanc injuriam externa illa sequitur.

LXXXVI.

*An quis virginem abducens consentientem ei
faciat injuriam?*

Distinguitur.

CUM in Ethicis dicatur: volenti non fieri injuriam: queritur, an raptor virginis consentientem

consentientis sic injurius. Respondetur: Et si
virginis simpliciter volenti & consentienti
non fiat injuria: tamen parentibus maximam
fieri existimandum est. His enim puella iniquis-
sima vi clam eripitur. Talis igitur raptus seu
abductio sub atroci pœna in jure Cæsareo est
prohibita. Disertè dico Simpliciter. Quia ali-
quando etiam si rapio virginem volenti te-
neor: C. de raptu virginis, L. una, nempe cum
ex una parte intervenit voluntas, & ex altera
dolosa persuasio. Quia is qui decipitur pro nō
volente habetur: Imò dolosa persuasio plus
est quàm violenta coactio, ff. de libero homi-
ne, l. 3. §. Si quis volentem.

Scienti &
consentienti
non fit
injuria, ne-
que dolus:
scilicet con-
sentienti
simpliciter;

LXXXVII.

*An rectè dictum à Cicerone in Officiis: Nemini
nocendum, nisi laceffaris injuria?*

Distinguitur. Formula orationis.

Exordium ab adjunctis rei ipsius. Magni inter-
est probè perspectum habere, quæ in
prophanis autoribus sacris literis con-
sentanea sint, & quæ dissentiant ab eisdem.
Ratio ab effectis. Nam qui id ignorant, in tene-
bris quandoq; versantur, prophana pro sacris
amplectuntur, contrà, res sacras quasi profa-
nas explodunt. *Expositio negotii.* Id si Laetantio
dicam contingere, cum Ciceronem exigi-
tat, quod docuit licitum nocere viro justo, si
laceffa-

laccessatur injuria, impudentior fortasse videbor. *Propositio.* Quamobrem ut impudentiz suspicionem effugiam, libet inquirere, siatne Ciceroni à Lactantio, an Lactantio à nobis injuria. *Arg. Lactantii à pronuntiatis divinis.* Quæcunq; sacrarum literarum monumentis contraria videntur, non immeritò à Christianis refutantur. Per literas enim hæc Dei voluntas detegitur mortaliæ generi, quatenus quidem Deus eam intelligi vult ab hominibus. Quæ literis igitur repugnant sacris; eadem & divinæ voluntati. *Assumptio.* A literis verò sacris alienissimum esse cõtendit Lactandus, quod in primo de Officiis traditur, justitiæ permisso fieri, ut noceas injuria laceffitus. Nam Matth. 5. sic præcipitur: Diligite inimicos vestros: & benè precemini ei, qui maledicit vobis: & orate pro illis qui ducunt vos in vincula. Item: ne resistite improbo, Rom. 12. Benedicite iis, qui vos insectantur. Si esurit inimicus tuus, ciba eum. Ne vincitor à malo: sed vince bono malum. Vides hic juberi, ut beneficiis nobis inimicissimos & infestissimos afficiamus & demereamur. *Amplificatio à contrariis.* Uteriq; igitur nocere prohibemur. Non immeritò igitur videtur refutari Cicero, ductu vitiosæ naturæ homini privato gladium quodammodo porrigens, quo acceptam injuriam sua ulciscatur manu. *Refutatio argumen-*
si per

Propof.
fylogifimi.

Assumptio.

Comple-
zio.

ti per distinctionem propositionis concessione ornata.
 Certissimum quidem non modò non probanda, sed acerrimè refellenda quæcunq; sacras literas labefactant: Verùm si & factorum autorum & Ciceronis sententia probè intelligatur, atque expendatur, nulla inter eas esse dissensio intelligetur. Quæcunq; enim ex Bibliis sacris in hanc sententiam adferuntur, sine controversia de privata vindicta intelliguntur, qua & Ethnici sibi interdictum esse non ignorarunt. *A sine.* Cur enim tam sanctè senatus magistratus coluissent? cur ad eos accepta injuria confugissent, si persuasum habuissent privatam ultionem sibi concessam?
altera pars distinctionis. Quod verò Cicero dicit, provocato injuria licitum esse nocere, de publica magistratus vindicta necessariò intelligitur, quæ etiam Christianis permessa est. Nam si quis restuas per vim auferat, aut tibi ipsi violentas manus adferat, quò re potius convertas, quàm ad prætorem vel alios magistratum gerentes, quibus ea causa gladius commissus est, ut puniant fontes, tueantur infontes, ad Rom. 13. cap. Tum si quid detrimenti capiat injuriosus vel pecunia vel capite mulctatus, id tibi nullam in partem assignari poterit, aut debebit, sed illius ipsius malitia. Tu enim Deo vindictam tribuisti, ut juberis per Prophetam: ipse verò per ministrum magistratum

gistratum retribuit. *Occupatio seu anticipatio objectionis.* Quod verò jure liceat experiri Christianis, intelligitur ex 6. cap. ad Hebræos, ubi Paulus controversiarum finem ait esse juramentum. Si igitur, ut finis sit litigandi, ad jurandum confugiendum est, utique effectus injuria, cum injuriosis in jus ambulare licebit. *Conclusio.* Quæ cum ita sint, certissimum est Ciceronis verba à Lactantio ad privatam vindictam accommodata esse, cum ille tamen publicam intelligeret.

LXXXVIII.

An fas sit mortem sibi consciscere?

Negatur.

PLATO in Phædone more Socratico disputat breviter in utranque partem: An liceat sibi ipsi mortem consciscere. Affirmatam sententiam ostendit ex adjuncto. Si bonum est mors, seu melius est mori quam vivere, licet unicuique beneficium illud sibi per se procurare, quam alium beneficii illius ministrum expectare. Negatam ostendit positus duobus: Dei providentia & dominatu. Et Deum curam nostri gerere, & nos Dei possessionem esse (vitam non esse nostram) certum est. Hinc conficitur, irapium esse de re aliena domini injussu statuere, & tanti Domini, nimiram Dei mancipia, id est, homines, cum

cūm non sint sui juris, non debere de se ipsis
 è medio tollendis auctoritatem & *ἑυδαίαν* sibi
 vindicare. Affirmata igitur antecedens, nempe
 mortem esse bonum, negandum est, quia
 mors est corruptio & destructio compositi:
 & naturaliter à morte abhorremus. Bonum
 verò est *ἀπὸ τῶν κατὰ φύσιν*, eligibile & optabile:
 ut vita, quæ *εὐδαίαν* & imago quædam Dei est.
 Non igitur licet se ipsam exanimare. Ad ar-
 gumentum igitur, Volenti non fit injuria:
 Cato volens necem sibi affert. Ergo Cato non
 facit sibi injuriam: Plato responsurus esset:
 Volenti non fit injuria, scilicet in re quam
 potest & debet facere. Cato volens sibi mor-
 tem attulit: At non debuit hoc facere: Quia
 nemo est Dominus suorum membrorum,
 ait Jureconsultus: & manet lex Dei immota:
 Non occides. Sed Aristoteles diceret, inter-
 fectorem sui non facere sibi injuriam, sed es-
 se injustum *ἡμῶν ἀδικία*: Facere autem inju-
 riam alii, scilicet civitati vel magistratui, cujus
 lex violatur.

LXXXIX.

An distinctio dominiorum probanda?

Affirmatur, materies ad declamationem disposita.

Narratio. Quotidie experimur verissimè
 dictura esse, quòd Satan rugientis leo-
 nis instar nos ambiat, quærens quem
 devo-

devoret. Superioribus enim diebus mihi relatum est, apud vos quosdam exortos esse, qui complures jam annos, consopitam de rerum communitate controversiam resuscitaverint: quo audito, suprâ quàm dici potest, perturbatus sum. Periculum enim est, ne contortis & aculeatis suis sophismatis complures in suam sententiam pertrahant. *Propositio, cui annexa est confirmatio & Syllogismi propositio.* Quod ne tibi accedat, firmis quibusdam argumentis mens tua præmunienda videtur: ex quibus hoc omnium longè firmissimum est: si furta sint, necessariam esse dominorum distinctionem: quæ si tollatur, nemo dicetur furari, & res alienas contrahere, sed suas usurpare. *Assumptio.* Furta verò committi quis dubitat? cum lege divina his nobis interdictum sit: quæ supervacanea esset, rebus omnibus inter omnes communibus: quod nefas est dicere, quando lex divina hujusmodi est, ut nihil ei addi debeat, nihil detrahi possit. *Complexio.* Quis igitur furiosos eos non dicat, qui rerum proprietate sublata omnium communitatem

Propositio. Introducunt? *A repugnant.* Præterea si itas habet, ut illi affirmant, nullus in toto orbe fuerit pauper: quia omnes possessiones omnium sunt communes. Semper verò fuerunt pauperes, semperq; in posterum fuerint. *Proba.* Hinc enim plurima passim præcepta in

utroq;

utroq; testamento de pauperibus sustentan-
dis, quæ similiter inutilia essent, communita-
te ista introducta. Ex quibus intelligitur eam
communione nunquam fuisse, nec futuram
esse. *Ab exemplis.* Tertio multa sunt sanctorum
pastrum exempla, qui certas possessiones ple-
no dominio occuparunt. Quinetiã ipse Chri-
stus apud Joan. 13. c. suos loculos legitur ha-
buisse, quibus asseruavit pecuniam, quam per
Judam dispensatorẽ in suos erogavit. Quam-
obrem extra omnem controversiam positam
est, rerum proprietatem piã esse, eoq; pro-
batam. *Refutatio.* Sed reclamant adversarii, su-
am istam communitatem ab ipso Deo con-
stitutam esse, cum Gen. 1. Adamum ejusq; po-
steros terram replere, & omnibus animan-
tibus ex æquo imperare jubeat. Id quidem
concedi potest quodammodo, sed sciendam,
aliam hominis fuisse rationem ante lapsum,
aliam post lapsum. Nondum enim lapsus sic
erat affectus, ut alii nõ minus quàm sibi con-
sultum cuperet. Lapsus verò potentissimus
quisque omnia ad se rapuisset. Quamobrem
paulò pòst in 3. cap. præcipit: In sudore vultus
tui vesceris pane tuo. Tuo inquit, non aliene.
Sic etiam concedimus dextrè intellectum: na-
turalem esse rerum communitatem. Nulla en-
im privata sunt natura, inquit Cicero: sed ci-
vili quadam necessitate, concordia pacisq;
D d causa,

Concl,

Objec:

Solut,

causa, dominia distincta sunt. Nam quid futurum esset, si alius in summo otio illis perfrueretur, quæ ego laboriosè peperissem. Tertio, quod Christianos in prima ecclesia cõmunes ajunt habuisse possessiones, id præceptum nõ est generale, sed personale exemplum, quod ut aucto Christianorum numero, diuturnum esse non potuit, sic universæ Ecclesiæ, in qua infinitus Christianorum est numerus, ut communitas victus esse non possit, obtrudi non debet. *Peroratio.* Cum igitur intelligas, nihil ponderis esse in adversariorum argumentis: & furiosa ipsorum argumentatione non solum humanas, verum etiam divinas leges gravissimè labefactari: cavebis quantum in te est, ne vel te ipsum vel alios simplices in suos laqueos inducant.

XC.

An & quatenus omnia debeant esse communia: an in repub. meum & tuum exterminari debeant, ut vult Plato 5. de Rep.

PLATO sentit: tum demum beatam fore civitatem, si in ea non audirentur hæc verba: *Meum & Non-meum.* Nam, ut dici solet, propter meum & tuum omnia est litigium. Et notum est illud Euripideum: *ἄλλοι ἄλλοι δόμοι*: Amicorum nihil proprium. Hæc sententia nõ sunt veræ ἀπλῶς. Hæc tenentur

Amicorum
omnia cõ-
munia: non

veræ
veræ

veræ sunt, si intelligas: in repub. omnia referri debere ad communem utilitatem: In reipublicæ communitate summam esse debere animorum & studiorum *συμπάθειαν*, conspirationē seu consensum, ut omnes cives omnia sua ad communem reipublicæ utilitatem dirigant. In amicis omninoq; omnibus reipublicæ civibus, veluti in *ἑμορφοις* & verè fratribus, seu tanquam in ejusdem corporis membris, debere esse unam animam, & communē & bonorum & malorū sensum, nec non mutuum auxilii *κοινωνίαν*. Ad summam, communitatis Platonice ratio ita est explicanda, non ut intemperans sit quædam & dissoluta rerum & personarum *ἀταξία*, sed distincta rerū personarumq; discrimina accuratè definiantur, sicut explicatur à Platone s. de legibus. Ibi quod s. de rep. *ἀδελφείης* & generatim enuntiatum est, restringitur & corrigitur his verbis: Prima & civitas est & reipublicæ forma, & leges optimæ, ubi quàm maximè per universam civitatem priscum illud obtinet proverbium: Omnia amicorum bona revera esse communia. Hoc potissimum termino virtus definietur, quo nullus poni rectior poterit, si alicubi videlicet aut hoc sit, aut unquam fiet, ut communes mulieres sint, communes & liberi, communes quoque omnes facultates, & quicquid proprium & peculiare dicitur

Dd 2

ex omni

quo ad possessionem, quæ est pernes certas personas, sed quoad usum & societatem quæ debet esse spontanea.

ex omni vita omnibus viribus exterminetur :
 usq; aded etiam, ut quæ propria singulis sunt
 natura, communia **QUODAMMODO** fiant :
 ut & oculi, & aures, & manus, communem in
 usum cernere, agere, audire videantur, lau-
 dantq; & vitæ perent per æquæ eadem omnes,
 iisdem rebus gaudentes, iisdem dolentes, iis-
 dem deniq; legibus vivant, quæ unam quàm
 maximè civitatem efficere possint. His verbis
 perspicuè vaga communitas emendatur. *Κοι-
 νωνία* igitur omnium affirmetur, sed ita, ut si-
 mul *τέταρτη κοινωνία*, id est, modus communi-
 tatis rectus iustusq; ostendatur, ne *πάλαι* (ci-
 vitas) esse *ἀπολλυ* videatur, id est, minus rectè
 constituta : ne fundamenta rei publicæ labef-
 factentur, & fines æquitatis transiliantur : hoc
 est, ne statuantur cuiq; in alienum invadere li-
 cere, fratri fas esse cum sorore misceri, quam
 nefariam *συγγασίαν* ac mixtionem & *ἀκοινωνήτων*
 atq; *ἀσύστατον κοινωνίαν* docuit quidem in lib. de
 Rep. Plato: sed emendavit hunc errorem por-
 tentosum & *ἀνομιον νόμον*, & *λόγον ἀνομιον*, & *δέ-
 σμα ἄθεσμα* ex vera & sana, eaq; sempiterna ac
 incommutabili Naturæ lege, Dialogo octa-
 vo de legibus. Lex enim ibi talis est: Parentem
 cum filia, avam cum nepote, aviam cum nepo-
 te, & ita in infinitum fratrem cum sorore mi-
 sceri, incesti concubitus censentor, & gravissi-
 mè puniuntor. Sed undecimo quoq; dele-
 gibus,

gibus, contra quam in lib. de Resp. fecit, Mel & Tui discrimen sancit, rerum dominia & possessiones distinguit, verat rem alienā præter voluntatē injussūq; Domini capere, confirmat contractus. Uti, inquit, nec tu Meum meo injussu capere debes: Ita neq; ego Tuum tuo. Et paulò pōst. Ea quæ non deposuisti, ne rollito.

XCI.

An diversa virorum & mulierum natura sit: an alia in civili administratione. seu: An mulieres ad civilis administrationis munera cum viris admitti debeant?

QUÆSTIO illustris est πολιτικός ἡδίκη: An mulieribus cura viris communia sint officia πολιτικῆς διοικήσεως officia, ut videlicet mulieres per æquæ temp. administrent, judicant, arma tractent, bellum gerant, proindeq; eodem modo instituantur. Sententia affirmata est in 5. de Rep. Platonis. Negata est Aristotelis, eaq; vera, quæ ἀνδρῶν ὄντινι. 1. Polit. ca. 3.

xi potest, ac congruit cum hoc pronunciatō veteris Theologi: Mulier nec docere potest, nec testis esse, nec judicare: quantò magis non potest imperare. Etsi enim una sit res publica: una tamen hæc ænus esse debet, ut naturarum, quæ diversis hominibus diversæ conveniunt, maxima ratio habeatur, atq; ad eò unusquisq;

Dd 6 quisq;

Unusquisq;
in ea re de-
bet peculiari-
ter versari
ad quam
natura est
aptus.

quisque in suo quodam & proprio opere, ad quod natura aptus est, versetur, ne existat in ea *ἀταξία*. Jam verò est apud omnes sanos minime controversum: Virum esse caput mulieris: Non debere mulierem *ἀδερτεῖν ἀνδρῶς*, sed penes virum autoritatem & imperium esse debere, mulieres verò *ἰπποτάσασθαι*, id est, subiectas esse viro, & dicto ejus audientes. Deus enim mulierem infirmiore natura creavit: Virum verò firmiore. Hinc sapienter constitutam lege Salica: Ne regnum Francicum cadat in colum, id est, ne mulieres vel regno succedant, vel regnum administrent. Hoc igitur generatim & *ἀδελφῶν* enunciatur: Omnia publicà munera mulieribus cum viris indiscriminatim communia esse debere, falsum est, cum reipublica *εὐταξία* postulet, ut ex varia naturarum viri & mulieris ratione functiones prudenter distribuantur. Destructo universali illo enunciato concidit & *πῶς* Platonium: Musices & gymnasticas instituta mulieribus cum viris communia esse debere, ut nimirum ille æquè ac hi eadem disciplina instituantur atq; exerceantur, quatenus ingenio ad eam apto sint. Sed dat Plato, feminam naturam *ἰσθμῶν* virosum natura infirmiore esse, atq; idèd leviora munera forminis in repub. transmittenda: non tamen diversam esse naturam formine à viri natura in ipsa

In ipsa civili administratione. Verum inquam ego, hoc ipsum est, de quo controversitur, & quod nos negamus. Non enim natura foeminae tale *ἡγεμονικόν* dedit, quale viro. Qualis dominatus sit foeminae, lex 12. Tab. bene definit his verbis: Mulier viro legitimè conjuncta sacrorum fortunarumq; sociabilis esto, utque hic domus dominus: ita & haec domina. Dominatio igitur foeminae privata est, non publica. Putat & Plato nec per se bonum nec malum, sed *ἀδιδόξον* esse, etsi insolens sit, nudas mulieres cum viris certare in gymnasiis. Sed hoc est postulatum ejus, quod non damus. Contra enim honestatem est, ac proinde contra legem naturae, quae hanc finibus quibusdam & cancellis verecundiae circumscripsit atq; circumvallavit, ideoque est non tantum novum, sed etiam ridiculum & revera malum, mulieres cum viris nudas in publicum prodire. Quod in republica Lacedaemoniorum jam olim id factum est, de eo non laboramus, qui non tam exemplis quam bonis legibus vivimus, & pravitate nullam esse praescriptionem statuimus. Etiam autem alia masculino, alia foeminino sexui conveniant: & semper Telemachus apud Homerum nolit matrem in concione manere, inquit: Oratio viris curae sit. Et honesta sit haec oratio virginis apud Ovidium: Fo-

mina sum & virgo natura mitis & annis.
Non faciunt molles ad fera bella manus.
Quid mihi cum ferro, quid bellica tela puella?
Aptior est digitis lana colusq; meis: ta-

Fœmina 2.
liquâdo of-
ficia obire
virilia & ma-
gistratû ge-
rere potest.
Lib. 3. cap. 2.

men aliquando datur laudi mulieribus, cum,
postulante necessitate, officia virorum ob-
sunt: sicut Ennius virginem bellatricem lau-
dat. Vos etenim juvenes animum geritis mu-
liebrem, illaq; virgo viri. Sic de Cælia Roma-
na virgine Valerius Maximus: Viris puella lu-
mine virtutis præferenda. In historia sacra
extat exemplum Judithæ, quæ virili animo
Holofernem obruncavit, & patriam ob-
sitione liberavit. In Ethnica historia antiqua
laudantur gubernatrices & bellatrices Ama-
zones, Semiramis, Temiris. Laudatur item
Candaule Ægyptiaca, Amalafuntha Gothica,
Margareta, trium regnorum, Daniæ, Sueciæ,
& Norvvegiæ regina. Hodie quoq; exemplû
est administrationis muliebris, & quidem fel-
licis, serenissima & Christianissima Regina
Angliæ. Colos etiam aliquando arripuisse im-
perium in Gallia: Sed eam colorum domina-
tionem satis quoq; infelicem fuisse, testatur
Gallica historia. Sed inquis: Quòd mulieres à
Platone asciscuntur ad bellicæ rei exercita-
tionem, non exiguam habet rationem: ut vi-
dellicet, cum pro aris & focis, pro patria & li-
beris dimicandum est, ita sint institutz, ne ve-
cordi

Object.
Plato 7. &
2. de legib.

cordi & ignava consternatione viros ab officio revocent, sed potius ipsis in carissimum communiumq; rerum defensione communem operam conferant. Militarem igitur disciplinam mulieres docentor. Respondeo illam rationem non esse satis gravem. Nam experientia docuit ipsam necessitatē extremam hujusmodi animi intrepidam presentiam mulieribus sumministrasse ad hostium impetus sustinendos, & tumultus bellicos minimè reformidandos. Johann. Serranus in Platon. 8. de leg. Vide & Justum Lipsium 3. cap. lib. 2. Civilis doctrinæ, ubi foeminas aliquando sceptricas esse eruditè probat.

XCII.

An Christianis principibus legitimis bellis interdicitum sit?

Negatur. Formula Declamationis.

Exordium à collatione. Quemadmodum furiosi isti Catabaptistæ, omne studium huc convertunt, ut sublatis magistratibus, legibus, judiciis, universum civilem ordinem labefactent: sic etiam Christianis principibus jus potestatemq; gerendi legitima bella adimere conantur. *Propositio.* Quod si eo facerent consilio, ut à bellis civilibus ad concordiam reducerent, laudandi essent: Sed cum nihil quærant aliud, quàm ut qualvis respublicas

Dd 5 impunè

impunè conturbent, suosq; errores longè lateq; propagent, contrariam in partem disputandum, eorumq; argumenta refutanda videtur. *Confirmatio.* Primum argumentum ab effectis sive magistratus officio. *Propositio syllogismi.* Si iusta defensio pertinet ad magistratum: & bellum utique: quod nihil aliud esse debet quàm iusta defensio, non latrocinium quoddam: & magistratus suos cives sæpè aliter defendere non potest, quàm si confugiat ad arma. *Assumptio.* Iustam verò defensionē ad magistratum pertinere, nemo dubitat, cum iudici cō respub. planè divino consilio præponatur. *Complexio.* Rectè igitur inferitur, legitima etiam bella ad magistratum pertinere. *Secundum argumentum ab exemplis.* Moises, Josua, Gidhon, David, jussu divino bella gesserunt. Quare certissimum est, bella legitima Deo non displicere, quæ pro sui populi defensione, suaq; gloriæ propaganda suscipiuntur: aut tantum certè abest, ut ferret ipse leges bellicas, ut jam latas abrogaturus esset. *Tertium à testimonio Christi:* qui apud Joannem milites suis stipendiis jubet esse contentos: Quòd si quævis bella indifferenter improbasset, castra deinceps ipsos sequi, & stipendia facere, procul dubio prohibuisset. Quod cum non fecerit, nec de Christi voluntate dubitari potest. *Refutatio.* Ad primum argumentum ob-

jiciunt

jiciunt, ex Christi præcepto, non resistendam
 injuriæ, itemq; à cædibus abstinendum. Af-
 sumunt verò: si gerantur bella, resisti injuriæ,
 cædeq; committi. Quare Christiano nihil
 sit alienius quàm bellum gerere. Verùm quæ-
 cunq; ex sacris literis in hanc sententiam con-
 tra nos adducuntur, ea ad unum omnia de
 privata ultione intelliguntur. Nam si gene-
 ratim intelligas, quorsum leges & judicia?
 Quorsum principes aliiq; magistratum gerē-
 tes? Quinetiam cur Christus ipse legem quam
 tulit, non servavit? cur colaphum à sacerdo-
 tis famulo æquo animo sibi impingi non tu-
 lit? Quod autem homicidii lege non tenean-
 tur, qui justa ex causa hostes occidunt, constat
 ex Deuteronomii vigesimo capite, ubi sic
 scriptum est: Si obtinueris civitatem, vi omne
 masculinū interficias. Secundò negant Mo-
 isis & Josue exemplis nos excusari, cum non
 sit eadem ratio utriusq; fœderis. Nam in ve-
 tere præcipiebatur, proximum amandum,
 odio prosequendum inimicum. At Christus
 apud Matth. inquit, amate inimicos. Rectè
 igitur videntur sibi inferre, si amandi hostes,
 qui sunt nobis inimicissimi, certè nō inferen-
 dum bellum, non obsidione occidendi. Hæc
 sic ab illis dicuntur, quasi non possit in eun-
 dem cadere, ut gerat bellum, & nihilominus
 benevolum gerat animum in hostem, quod

VERÈ

verè Christiano, qui Dei spiritu ducitur, difficile non est. Nam ut viri boni litigantes oderunt injustam causam, adversarium verò nihilominus amant: Sic etiã Christiani principes, hostium immanitatem detestantur, viros ipsos amicè amplectuntur. *Conclusio.* Ex his itaque perspicuè intelligitur, Christianis principibus legitimis bellis interdictum non esse. Quod utinam omnibus ex æquo fine malitia persuasum esset, ne tot passim audirentur querelæ de bellis civilibus & rerum publicarum everfionibus.

XCIII.

An Magistratus debet esse similis Cani?

MAGISTRATUM seu ἀρχοντα Plato lib. 2. de Rep. vocat *κύλαξ*, id est, custodem, quodd ejus officium sit custodire remp, Ac rectè comparat eum generoso cani: Hic enim ut ad sensum sagax est, & velox, atq; expeditus ad id quod sentitur persequendum, & robustus, si adhibenda fuerit vis ad dimicandum, mansuetus deniq; erga familiares, & ferus adversus ignotos: Sic magistratus sit sagax & prudens, & natura ejus ita mansueta, ut sit quoque iracunda, seu θυμωδης & vehemens: ut possit hostem fortiter arcere, supplicium improbis statuere, suos sub legum præfido tueri, bonis præmia dare. Ad summam

mam vult sapienter Plato: Magistratus naturam ita exultam esse debere, ut opportunè norit & possit parcere subjectis, & debellare superbos. Itaq; Platonis sententia est ita accipienda, ne pugnet cum his Ciceronis 2. Officiorum: Ita maxime est prohibenda in puniendo. Et iratus ad pœnam qui accedit, nunquam mediocritatem illam tenebit, quæ est inter Nihilum & parum.

XCIII.

An promissio iurejurando facta latroni redimenda pecunie causa iuste servetur?

Affirmatur.

S E P T I M O quæritur: an, si quis latroni se pecuniam daturum jurat, ut vitam redimat, obstringatur ad præstationem. Affirmationem sustinemus his argumentis: 1. Asseveratio de re possibili & licita facta cum invocatione veri Dei, qua petimus, ut sit testis dictorum, & puniat fallentes, & nos ipso teste ad pœnam obligamus secundum ipsius comminationem, quasi arguentes eum mendacii, si non paniat fallentes, est servanda. Juramentum latronibus aut insidiatoribus datum de pecunia est talis asseveratio. Ergo servandum. 2. Idem ferè hoc est. Quicquid juratum fuerit, quod cum favore Dei & sine peccato præstari potest, omninò præstandum est.

est. Nomen enim Dei sanctius habendum, quam ut illud propter nostram vitam, honores, fortunas, temporaria commoda, profanemus. Juramentum latroni factum de solvenda pecunia pro vitæ redemptione præstari potest sine effusione gratiæ Dei, & sine peccato, & turpitudine. Ergo. 3. Inter duo mala eligendum est minus. Perjurium majus est malum quam jactura rei corporalis. Ergo factius est jacturam facere rerum corporalium, quam perjurii scelere conscientiam onerare. 4. Obedientia erga Deum & ejus gloria est omnibus rebus anteponenda. Dei autem præceptum est severissimum: Non pejerabis, sed solves Deo juramentum tuum. Cui addita est tristissima comminatio: Non habebit Deus infontem, quisquis vanè nomen ejus usurpaverit. Et cum juramentum à sciente & volente violatur, ne solvat pecuniam promissam, afficitur Deus ignominia. Ergo juramentum hoc non est violandum, sed potior esse debet jurisjurandi religio, & consideratio gloriæ Dei, quam jactura rei corporalis. 5. Non sunt facienda mala ut eveniant bona: sed perjurium malum est: perjurio igitur non est redimenda vita. Verùm multa in contrariam sententiam afferri possunt, quorum quædam excutiemus. 1. Metu terroreque extorta juramenta non sunt servanda. Hæc illiusmodi sunt.

Object.

sunt: Ergò. 2. Item: Tantùm voluntaria juramenta de re licita & possibili sunt exsolvenda. Juramenta quæ latronibus fiunt non sunt voluntaria, quia violenta. Ergò. Resp. 1. Nego Solut. majorem primi syllog. Nam *περὸ φασίς* & prætextus terroris est res in infinitū minor quàm contumelia Dei & sceleris tanti conscientia.

2. Respondeo ad probationem assumptionis secundi syllogismi: Etsi in violentia magna & terrore impedita est voluntatis libertas: tamen cum propositis duobus malis minus damnum voluntas eligit, revera in tali promissione libera est. Id probat vetus regula Jurisconsultorum: Voluntas coacta etiam est voluntas. Respondeo igitur etiam ad ipsam ass. per inficiationem. Qui enim jurat, se vitam pecuniis redempturum, eligit minus malum liberè, ut vitet majus. Idèd honesti homines servant juramenta talia (vi extorta) præsertim cum facta sit sponsio de re licita & possibili. Actiones, inquit Aristoteles, voluntariæ sunt, in quibus est deliberatio. Jam verò qui metu aliquid agunt, ut jurant, certè deliberant, imò movent ipsi quoq; sua membra, ut exequantur imperata animi. Ergo metu coacti, tamen agunt voluntariè, etsi non voluntate absoluta, sed respectiva mixta que cum aliqua, ut sic dicam, voluntate. Quod adjicio, ut satisfiat huic objectioni: Volenti non Obje-

ât

Solutio.

fit injuria. Viator sciens & volens dat pecuni-
am. Ergo viatori non fit injuria. Resp. ad ma-
jorem. Hæc intelligenda est cum duabus ex-
ceptionibus: Volenti non fit injuria, hoc est,
simpliciter volenti, & volenti rem ipsam. De-
inde ad minorem: Viator dat pecuniam vo-
lens, at non simpliciter, sed in collatione du-
orum malorum. Mavult enim amittere pecu-
niam, quàm vitam. 3. Obligatio solvi potest

Object.

potestate superioris, ut magistratus. Et in ju-
re est regula: Jusjurandum quod terrore ex-
torcum, vel vi metusq; causa factum est, ra-
tum non haberi. Tale autem est hoc jusju-
randum, de quo nunc differimus. Ergò. Et Ce-
lestinus Papa ejus nominis III, juramentum
meru extortam irritum esse statuit. Resp. 1.

Solutio.

Solvi potest superioris autoritate obligatio,
scilicet qua homini obligatus es, nõ qua Deo.
2. In juramento hoc est duplex obligatio ju-
rantis: Una, qua obligatur homini improbo
seu latroni, cui aliquid jurejurando promittit.
Ab hac obligatione ipsa coactio liberare po-
test. Altera, qua quis Deo obligatur: ab hac
non absolvitur, sed necesse est eum implere
quod noman Deo sacrosanctum permittit. 3.
Cum leges non debeant esse vincula iniqui-
tatis, & magistratus sint administri justitiæ &
æqualitatis, & verò terrore præventus, cum
se daturum aliquid jurat, quod sine magno
rerum

rerum suarum detrimento præstari nequit,
 insigni afficiatur injuria: justissimum est leges
 ac magistratus aliorum libidini & iniquitati
 in damnum aliorum non patrocinari. In hanc
 partem rectè prætor in jure civili dixit: Quod
 vi metusve causa factum est, ratum non habeo.
 Intelligendum enim est hoc ita: non dari
 actionem latroni, qui terrore juramentum
 extorsit. Et si autem non armant aut adju-
 vant lex & magistratus in seductorem data ac-
 tione contra jurantem: tamen privatim unius-
 cujusque conscientia hanc curam permittunt,
 ne jusjurandum de re possibili & licita factum
 sciens ac volens violet: nec prohibent, quod
 minus promissa faciat. Cum igitur possis rem
 corporalem quocumque tempore sine peccato
 relinquere, multò magis id faciendum est,
 postquam tantum seu tam arctum vinculum
 intervenit. Sed ad magistratum redeo: & sic
 concludo: Magistratus cum sint custodes le-
 gum, non debent confirmare latrocinia aut
 aliam injustitiam quamcumque. Confirmarent
 autem injustitiam & latrocinia, si tale jura-
 mentum ipsis patefactum ratum haberent.
 Ergo ratum & validam non habebunt, sed re-
 scindunt. 4. Juramentum non debet esse vin- Objectu
 culum iniquitatis: & juramentum, quod est
 contra bonos mores, non est servandum. Ju-
 ramentum datum latroni est contra bonos
 mores:

Soluta

morēs: & est vinculum iniquitatis. Ergo. Ne-
 go minorem. 1. Tum enim esset juramentum
 vinculum iniquitatis, si quis cogeretur reli-
 gione jurisjurandi ad faciendū aliquid, quod
 pugnat cum lege Dei, & honestate ac salute
 publica. 2. Aliud est pati injuriam: aliud in-
 ferre. Latro inferens injuriam facit contra
 bonos mores, non ille qui injuriam patitur à
 latrone. Itaq; Magistratus rectè facit, si latro-
 nem deprehensum ultimo afficit supplicio,
 & personæ innocenti juramentum remittit.
 At privatus interim metor sit juramenti.
 Religio enim jurisjurandi si anteferenda est
 vitæ, ut certè est, multò magis aliis inferiori-
 bus bonis. 5. Lingua juravi: mentem autem
 injuratum gero, inquit Hippolytus apud Eu-
 ripidem. Ergo & dicere potest promissor, qui
 incidit in latrones: Lingua mea juravit: mens
 autem non juravit. Respondeo: Nefas est, ali-
 ud lingua jurare, quàm mente sentias: aliud
 verbis promittere, quàm factis præstare co-
 gites. Non est ludendum juramento, utpote
 insigni specie Invocationis Dei. Summa igitur
 hujus disputationis consistit in his duo-
 bus. 1. Magistratus rectè rescindit juramen-
 ta vi extorta, ubi promissum quid est, quod li-
 cet, & potest præstari: Quia nō debet confir-
 mare latrocinia. 2. At qui juravit amans ju-
 stitiam, fidem, veritatem, famam & religionis, ma-
 vult

vult accipere plagā in pecunia, quā in conscientia (quæ tenera res est.) An autem jurare liceat, in præsentia non lubet disputare. Hoc certum est: Necessitatis iusjurandum esse licitum: Vanitatis & temeritatis illicitum.

XCV.

Contra affirmantem superiorem defensio, Negata sententia: nempe, quod latroni fides servanda non sit.

DISPICIENTI mihi, cui necessitas assertur aliquid ex hoc angusto loco dicendum de aliquo argumento, ad utilitatem studiosa juvenutis comparato, etsi in tantarum varietate & copia multa occurrerent ejusmodi: comparatione tamen omnium facta visus tandem mihi fui utilissimè de hac questione differere: An fides sit exsolvenda latroni, præsertim cum hoc & superioribus annis exempla habuerimus eorum, qui à latronibus capti partim servarunt, partim violarunt fidem datam, ideòq; passim & plebei & docti inter se disceptent: rectène an secus hoc vel illud fiat. Nam ut nunc misso vulgo imperito, de doctis dicam, sunt, qui ajunt, latroni fidem servandam. In his est Petrus Martyr Theologus & philosophus insignis in locis communibus class. 2. loco 13. num. 21. & Philippus ille Melanchthon in quaest. Ethicis, tit. de juramento.

Exordium
cum propositione
primùm generali,
deinde speciali.

mentis. Et nos in hanc sententiam supra attulimus rationes, non aded leves, nisi forte fallimur. Alii negantem tuentur sententiam: Inter quos eximii Jareconsulti, Donellus in cōmentar. Obert. Giphanius disputatione de pactis, l. 60. Joh. Bodinus lib. 1. d. Repub. pag. 1. & 2. Sed cum valde ardua hæc quæstio sit, & utrinq; afferantur rationes valde probabiles, non desunt qui malint hic Scepticorum ritu *ἔπιχειρῆναι*, hoc est, assertionem cohibere. Ab his non multum abesse videtur nobis eruditissimus vir Lamb. Danaus lib. 2. Ethic. fol. 161. ut qui expositis aliorum sententiis rem in medio relinquat. Ego in hac opinionum varietate eam quæ inter primam & ultimam interjecta est, in hac oratione non aspernandis, ut puto, rationibus constabiliam. Quod candidissimi auditores, dum facio, pro misericordia animorum vestrorum in me propensione benivolæ, attentasq; aures mihi accommodabitis: id quod etiam atq; etiam peto. Video autem duo plerunque esse, ad quæ data fide promittenda urgentur, qui in manus latrocinantium incidunt, 1. pretium capitis, tanquam *ἀντίποινα* puta, pecunia, pro redimenda vita, 2. filicium: intellige, quòd nemini latrones istos sit proditurus, quem ad pretium promissum colligendum conficiendumq; dimittunt. Sed de hoc posteriore primùm videbimus. Prioris enim

Alia Oratio
cum apostrophe
auditorum.

Divisio.

enim promissionis effectus ferè dependere ex hoc videtur. Dicimus: gl'ur hic silentii promissionem vel sanctissimam & juratam servari non posse: neque salva obedientia, quam & Deo & Magistratui Dei legato debemus: neq; salvo officio, quo ex lege Dei & naturæ proximo nostro astricti devinctique sumus.

Quid ita? Promittentes rem illicitam, peccamus. Si quod illicitè promissus servemus, & in effectum deducamus, peccatum duplicamus: idque vel maximè, si jurata fuerit promissio. Deus enim invocandus est, ut sit testis & adiutor rei non prohibita, sed honesta. Et juramentum nõ debet esse vinculum aut nervus iniquitatis. Hinc existimant, Davidem fidei Simei interventu jurisjurandi datam de eo, cum morte dignus esset, non occidendo (2. Sam. 19. v. 23) rectè violasse, cum iussit eum interim à filio Salomone (3. Reg. 2. vers. 9.) Hinc etiam est, quòd in omnibus juramentis, quantumvis verbis generalibus, vel etiam signis universalibus (omne, nihil non, quidlibet) conceptis, semper excepta intelligitur obedientia, divino verbo seu Dei & naturæ legi debita. P. Martyr Class. 2. loc. 13. n. 2. Ideoq; stultè Herodes huiusmodi juramento se teneri existimaret Herodiadi viri sancti & innocentis caput petenti, Matth. 14. v. 7. 9. Iephthæ immolationem filia, Judic. 11. v. 31. 35. Me-

Ec 3

laucht.

Tractatio
alterius
partis.Confir-
matio.
Propositio
syllogis-
cum pro
syllogis.

Assumptio
cum appro-
bationibus.

- lanche. in quaest. Ethic. de interpretatione juramenti, longè sapientius & rectius Hyppolitus novetca, cum promiserat daturum, quod peteret, petenti incestam consuetudinem se obligari negavit: Lingua juravi, mentem injuratam gero. Sic igitur verum est quod proposuimus. Jam verò promittentes latronibus silentium, seu nemini nos indicaturos hoc vel illo loco latrones latitare, qui insidentur iter facientibus, promittimus rem illicitam, quæ sine peccato servari non potest.
- I. Primum enim hic promissor silentio suo causam præbet vitæ salutisq; discrimini, in quod postea illi incident in eorundem latronum manus delapsi. Quod sanè evitassent, si à dicto promissore fuissent admoniti edoctique, esse hoc vel illo loco latrones qui iter facientibus insidentur. Nihil autem refert, hominem quis occidat ipse, an ejus mortis causam præbeat, l. nihil interest 15. ad leg. Cornel. de Siciariis. Deinde sine conscientiz vulnere non possum non admonere proximum de periculo quod ipsi imminere scio, si voluntatem eorum spectem, qui nocere decreverunt. Jam verò certus sum eodem modo latrones affectos esse in omnes viatores, si se à dimisso prodendos esse vel minimam suspicionem concipiant. Præterea in culpa est qui scit, & cum posset prohibere, non prohibet, l. 50. de reg.
- II.
- III.

reg. jur. crimen committit, l. 109. eod. Atqui hic scio periculum imminere iis, qui in posterum iter facient per locum à latronibus obsestum, & possum id prohibere, ac ab ipsorum capitibus avertere, si indicem imminens periculum. Adde, quod non caret suspitione societatis occultæ: videtur injuria afficientem fovere, ac esse particeps ejus culpæ, qui futuro facinori cum posset, obviam non ivit, e. dilecto, in fin. vers. imò si potest, de sentent. excomm. in 6. Non igitur fas est dimissum non indicare eos, qui in insidiis se collocarunt. Sed cum dimisso à latronibus constare non possit de singulis, qui per eundem locum iter facturi sunt, tenebitur quidem obviis quibuscunq; periculum aperire, sicut & portarum proximæ civitatis custodibus, ut viatores de eo admoneant. Verùm cum nec hac ratione satis omnibus caveatur, quamdiu ipsum malum non tollitur: tenebitur idem indicare magistratui civitatis proximæ, ut captis latronibus viarum securitatem tueatur. Hoc enim ejus officium efflagitat. Et quidem tenebitur hoc indicare, quamprimum reversus fuerit, propter periculum, quod ex mora in alios imminere ac redundare posset. Et magistratus, ubi hoc cognoverit, tenebitur vicissim ex officio & persona, quam sustinet, abjecta omni suspensione, dare operam, ut fontes è latronibus

Et a puls

IV.

bulis suis extrahantur, ac comprehendantur, pœnis legum subjiciendi. Verùm hic alia ea- que gravissima incidit quæstio: Cùm sanctis- sima res sit & religiosissima jurare, sitne ne- cessarium, ut dimissus, antequàm rem cuiquam faciat palàm, à jurejurà to absolvatur per per- sonam ecclesiasticam, cui ea potestas & ^{potestas} tributa sit, hoc est, cui fas sit in jurejurando obligationem relaxare: quod vulgus dicit, dis- pensare. Factum hoc memini in hac facti spe- cie superioribus temporibus. Sed ego in ne- gantem sententiam cum multis ingenio & ju- dicio præstantibus viris discessionem facio. Nam juramentum hoc cùm rei illicitæ pro- missionè contineat, ipso jure nullum est, idq; non tantùm jure civili, l. non est dubium, §. in fin. C. de ll. l. 7. § & generaliter 16. de pactis, sed & divino, cùm verbum Dei leges civiles bo- nas & R. ip. salutare tanquam suam ipsius or- dinationem tueatur. Sanè juramenti vinculo Deo (quem testem esse volumus nostræ con- firmationis, & vindicè, si promissio jurata vio- letur) obligamur. Aut igitur obligatio hæc valet, aut non valet: si non valet, si eam Deus ratam esse non vult (quod fit: cùm juratò pro- mittitur res illicita) quid opus est absolute à vinculo, quod nullum est, satis est, quòd a Deo obligatione solvimur & liberamur. Si valet obligatio, nulli homines vel excelssimi & lau-

& sanctissimi vinculum nexumq; jurisjurandi, cujus obligatio fit *à méos* inter Deū & hominem, solvere possunt, sed ne pejeremus jurandum nostrum Deo exsolvendum est, Matth. 5. v. 33. Atq; hæc hæctenus de quaestione promissi silentii: Reliqua est altera quaestio nobis proposita de promissione pretii latronibus facta. Quæ quidē videtur inutilis & supervacua, si magistratus officio suo fungatur. Si enim apprehendit latrones, non poterit ipsis promissam solvi pretium, cum sint in manu Magistratus, sine cujus cōsensu ad eos non patet aditus. Nec ipsi requirent solutionem latrones, scientes fore, ut, si convincantur, bona sua fiscus vindicet, l. 20. de accusat. si non fuerint apprehensi, sine dubio id ex eo contingit, quod suspicari se proditos aliū se proripuerunt. Quo casu cum non manserint eo loco, ubi convenit ut fieret solutio, recte dicitur reus esse liberatus, cum juraverit nō quovis, sed certo loco se facturum solutionem. Quin etiam si nihil de certo loco convenerit, idem quod in casu superiori obtinebit: simul atq; enim cognoverit dimissus quo loco latent latrones, tenebitur eos ex superioribus rationibus magistratui indicare, cujus quidē, ut diximus, est hīc dare operam unicē, ut sine mora apprehendantur. Etsi enim à magistratu curari debet, ut inviolata sint juramenta,

Transitio.

Tractatio
reliquis
partis.

Ee 5 cum

cum ob honoré nominis Dei, tum propterea, quod vincula sint humanæ societatis, non tamen de quibuslibet juramentis hoc intelligendum: qualia sunt, quæ societatem humanam violant. At inquis: Si apprehensus à magistratu latronibus pecunia promissa non datur, promissori pio semper ferè de non exsolutione religionis jurisjurandi scrupulus injici potest. Respon. Hoc quidem casu ut promissor missus se religione jurisjurandi exsolvat, teneri eum magistratui ejus, ve fisco in bonis latronum successuro pretium capitis promissum offerre, defendi potest. Magistratus autem tum erit, dimissum à latronibus eo pretio donare, cum & aliàs obligetur ad damnum faciendum illis, qui damnum passi sunt, dum iter facerent per vias publicas, quarum securitati prospicere debuerat. In hunc enim usum portoria & vestigalia à transeuntibus exigit. Quod si alia quàm publica via iter fecit, qui incidit in latrones, dici potest: in magistratus arbitrio esse, an pretium ei velit restituere: arbitrium autem magistratus moderabitur pro ratione circumstantiarum: et tunc minoris necessitatis, quæ eum coëgit huic se itineri periculoso, ut magis compendioso, committere: tempestatis, quæ publicum iter difficile, imò planè incommodum reddiderat. Ac, prout ipse ex hujusmodi *responsum* æquius

æquius videbitur, vel totum pretium vel ejus
 partem restitui jubebit. Sed hinc quaeritur: Fi-
 desne mihi servanda, si postquam latrocinium
 aliis revelavi, magistratus non fungatur suo
 officio, si rem ita procrastinet, ut interim pos-
 sim fidem de pretio capitis datam solutione
 liberare? Hic primum respondeo, sine mani-
 festo periculo fidem integram servari non pos-
 se. Nam metuendum est post rei detectionem,
 ne resciverint latrones se à dimisso proditos.
 Plerumque enim in locis vicinis habent suos
 exploratores, ex quibus cognoscant, ubi via-
 toribus infidari debeant, ex quibus discant
 viatorum conditionem & fortunas, & potissi-
 mum quantum pro capite numerare possint.
 Hi facile comperient proditos esse latro-
 nes socios suos, ab eo quem dimiserunt, si in-
 dicaverit obviis portarum custodibus, magi-
 stratui, quid sibi acciderit: atque id suis sociis re-
 nunciabunt, ut in tempore suæ salutis consu-
 lant. Hi ubi cognoverint se proditos, omnia
 suspecta habebunt, ideoque si alius loco dimis-
 so ad eos pretium promissum deferat, existi-
 mabunt sub ea *περὶ αἰτίας* (prætextu) diligen-
 tius explorari suas latebras, & hac de causa
 sine dubio hunc interficient. Sin ad pre-
 tium persolvendum proficiscatur ad eos, ip-
 se, qui dimissus est, an dubium esse potest,
 illi certum paratum esse exitum vel ob solam
 prodi-

proditionem? Secundò: Responsio hic expedita est ex jure civili, fidem servandã non esse: cum eo hæc vis gravissimis pœnis vindicetur (l. capitalium 28. §. 10. & penult. de pœnis) tantum abest ut ex ea lucrum sentire debeant auctores. Hujusmodi conventiones violentæ aperte improbantur prætorio edicto: Quod metus causa gestum est, ratum non habeo. Et verò, si ex hac causa data repeti possunt (l. 7. & 8. quod metus causa, l. 9. C. unde vi & quidem in quadruplum (toto titulo vi bon. rapr.) Quantò justius non data poterunt retineri? Neq; verò huic sententiæ obstitunt, l. 22. §. si prædo, de pignoratitia actione, l. 16. commod. l. 1. §. si prædo (verba hæc sunt: si prædo rem pignori dederit, competit ei & fructibus pignoratitia actio, &c. Si prædo commodaverit, vel alienam rem quam possidet habebit commodati actionem) l. 39. l. 31. §. 1. de pos. Habent enim latrones juris communione, quantum juri agunt consentanea: ut in speciebus, dd. ll. cum deponunt, dant commodato, dant pignori, nihil agunt quod legibus sit prohibitum. Et quod pignus depositum commodatum eis restituitur, summa conjunctum est cum æquitate. Si enim id retinere liceret depositario, commodatario, &c. adversus quos latro deliquit nihil, pœnæ lucrum facerent illi, qui latrocinio latronis nulla ex parte lesi sunt,

Confutatio.

sunt. Læsi sunt rerum ablatarum Domini, læ-
 sa Respublica. His ad pœnam obligatus est la-
 tro. His pœna debetur & satisfactio. Nec
 quicquam habet roboris, quod obijciunt de
 hostibus. Hostibus, inquam, data fides servan-
 da est, sicut docet exemplum Atilii Reguli,
 ergo astringeris quoque ad servandam fidem
 de pretio capitis latronibus datam. Dispar e-
 nim, imò alia conditio ratioq; est hostium ac
 latronum, hostium vis injusta non habetur.
 Justa enim est jure belli quod jure gentium
 comprobatur. l. 5. prius. de just. & jur. Hujus
 juris cum latronibus nulla est communio, sic-
 ut nec propriè bellum. Ideò latrones passim
 ab hostibus separantur, l. hostes 24. l. 27. de ca-
 ptiv. & postliminio rev. l. 118. de verb. sign. vis
 horum omni jure injusta est, & humanæ so-
 cietati planè infesta ac inimica. Et si qua ejus
 causa afferenda est, præter improbitatem &
 malitiam extremam vix ullam invenio. Sed
 speciosissimū omnium, quæ obijciuntur, hoc
 est: Et si nihil peti possit judicialiter ab eo, qui
 pretium capitis latronibus promissit. Prætor
 enim non dabit actionem latroni, qui non
 debet confirmare latrocinia: ut tamen exsol-
 vat se religione jurisjurandi in foro conscien-
 tiæ, omninò dicendum videtur teneri eum ad
 promissi pretii præstationem. Nam etsi co-
 actus juravit, sciens tamen & prudens juravit
 & de

& de re licita. Nullo enim jure vetatur quid donare latronibus, ne tum quidē cum coacti promissimus. Succurritur quidem legibus civilibus metu coactis ad dandum vel promittendam. Sed ita demum si remediis legū sibi subveniri desiderāt. Postulari enim hæc oportet, l. 9. §. 3. circa fin. verbi posse eum postulare, cum §. volenti autem datur seq. quod metus causa, l. 4. §. hoc autem, de damn. infect. & similib. Licite itaq; quod coacti promiserunt præstare possunt, nulla id lege prohibente, & ex consequenti, continet ipsorum jusjurandum promissionem rei licite adimplendam, si obligatione, qua se jurantes Deo obstrinxerunt, liberari volunt, modò nolint pejerare. Ad hoc responderi potest, ita rectè consull conscientie, nec committi perjurium, si promissor eroget pretium promissum in commodum pauperum, aut alias pias causas, aut deferat illud in fiscum magistratus, in cujus territorio eum invaserunt latrones. Ad hunc enim præ aliis hujus facti cognitio pertinet (l. i. C. ubi de crimin. Novell. 134. cap. 5. in fin. de raptor.) & ex consequenti bonorum damnati successio, d. l. 20. de accusat. cui æquiparatur is, qui notoriè latro est, ex communi Dd. sententia, Jas. in l. si verò, §. qui pro rei, n. 3. qui factis. cog. Est autem hoc casu sine dubio notorium atrocium ei, de cujus conscientia hæc agitur.

Quomodo
promissor
non præ-
stans pro-
missum hæc
à perjurio
excusari
possit.

agitur, cui quidem notoriū esse hoc casu sufficit, cum de ejus tantum præstatione sit quaestio. Verum, inquit, cum ita sibi caverunt latrones, ut coegerint me pro capitis pretio ipsis dare Chirographum, quo ajo me ipsis debere 1000. florenos ex causa mutui, venditionis, vel alia jure probata, eosq; promitto me soluturum proximis nundinis Francofurtensibus, Lipsensibus, &c. & ipsi postea veniant ad nundinas eos petitum. Hinc data fides mihi violanda fuerit? Hic respondetur: Si probare possim hoc latrocinium per alios, qui procul id viderunt, vel mecum in manus latronum inciderunt, teneor equidem id indicare magistratui, ne silentio meo causa sim, ut eandem improbitatem in alios exercent. Si probare non possim, quia dolus & metus hujusmodi non præsumitur, sed probari debet, cum omnes præsumantur, hoc est, habeantur boni, quatenus non probatur contrarium: tutius fecero, si ipsis solvero, ommissa hujusmodi exceptione: & inutili, destituta probatione: & ex qua me convenire possent actione injuriarum, vel etiam graviori. Atq; hæc fuerunt, quæ ex subjectione Johannis Nelli, Jaris utriusque candidati eruditiss. amici mei opt. de proposita quaestione: An latroni fides, in primisq; jurata, sit servanda: pro negante magis, quam affirmante sententia dicentem.

Exceptio
seu regressus
sionis imi-
tatio.

Conclusio

rem. Vestre nunc partes sunt, ut hæc sobrio iudicio (quod sapientia animæ est sapientibus) metaraini, & quanti habenda sint, æstimetis.

XCVI.

Ἐκτένε fecerit λειτεργός Laurentius, quod d'urbis profecto, Imperatoris nomine petenti ecclesia thesauro ad usus publicos se opposuit, & vitam potius amittere voluit, quam imperata facere?

Affirmatur formula declamationis.

Ex Orationibus Melanchthonianis.

Exordii propositio. Optarim equidem, lectissimi studiosi, has dicendi partes magis idoneo in cœtu nostro esse commendatas. *ἀπολογία*. Perturbant enim me ex hoc loco augusto dicendi exigua facultas & infantia mea vestraque expectatio, qua dignum nihil efficere atque edere possum. *Ἀντίθεσις* seu adversativa: Sed rursus erigit me in signis vestris iudicando candor, & excusat me vobis huius Academiæ consuetudo & præceptorum auctoritas, quam sine flagitio detrectare non potui. *Conclusio exordii*, continens propositionem, sed generalius. Quare de verè generoso & cælo animo Divi Laurentii pauca verba faciam. *ἔκτασις*. Quam meam balbutiem, ut pro humanitate & æquanimitate vestra non ineleganter feratis, reverenter à vobis etiam atque impetoro. *Narratio quæ ἀποκρινὴ* questionis & dissertationis. Fuit Laurentius sub Xisto, episcopo Romanus.

manus

manæ ecclesiæ, præcipuus ex collegio diaconorum, ad quos pertinebat olim ex Apostolorum instituto eleemosynarum & reddituum, quibus ministri ecclesiarum & pauperes alebantur, custodia, cura & distributio. Hic episcopum tuum dictum ad supplicium comitās, ab eodem mandata accepit, ut interea, dum ipse quoque martyrii coronam consequatur, (quod post paucos dies futurum ei prædicit) thesauros ecclesiæ sibi concreditos diligenter custodiat. Hoc dictum cum satellites exceptum detulissent ad Imperatorem, ad præfectum urbis accessit Laurentius, iussus est Decio indigenti pecuniis ad militiã pro communi defensione Imperii thesauros ecclesiæ tradere. Id initio recusat Laurentius, negans posse se id facere sine violatione turpissima fidei, quam ecclesiæ dederit. Sed instante & extrema minitante præfecto, tandem quasi territus comminationibus illius cederet, tridui spatium dari sibi petit, donec thesauros illos non uno in loco reconditos conquirat, & ex latebris erutos in unum locum comportet. Hac promissione in optimam prædæ spem Tyrannus erigitur. Laurentius vero, hoc tempore impetrato, quid facit? Toto illo triduo occupatus est cõquirendis & convocandis omnibus, quotquot in illa urbe doctrinam de filio Dei agnoverant, mendicis,

Ff cæcis,

cæcis, claudis, mutilis, leprosis, morbis & ætate confectis, quibus ipse singulis dominicis diebus alimenta ex arario ecclesiæ distribuere consueverat. Eos ante templi fores ordine collocatos, ad constitutum tempus præfecto urbis, ingentes argenti facti & auri signati cumulos avidè expectanti, ostendit, addens: Hos esse illos ecclesiæ suæ thesauros, hæc *ἐπιφάνεια*, quorum cura tanto sibi studio ab episcopo Xisto ante mortem commendata esset, ne quid inde fineret perire, cum Deus illis ceu preciosissimis vas, imò ceu stellis aliquando cœlestem suam aulam esset exornaturus. Præfectus ergo intentus in hos, cum non solum spe sua se frustratum, sed insuper etiam contumeliosè derisum putaret, continuo ad supplicium rapi Laurentium jubet. Hic Laurentius contra & vulu alacri & verbis plurimalis testatur, nullum se supplicii genus reformidare aut defugere: sed ad sufferenda quævis paratum esse, modò ne fidem Ecclesiæ datam violare, & professionem Evangelii, propter quam Episcopum suum & alios pios interfici vidisset, abjicere cogeret. Hæc profitentem præfectus craticulæ, cui substratæ erant ardentes prænx, imponi mandat, non solum ut lento igne magis excruciatu avari tyranni crudelem animum tam horribili ustulatione exsaturaret, sed etiam

specta-

spectatricem multitudinem atrocitate & diu-
 rnitate supplicii à confessione Evangelii
 & societate Ecclesiæ deterreret. Ibi non eju-
 latus edere, non quiritari, non convitari,
 non mala in precari tormentibus Laurentius:
 sed læta gratiarum actione & invocatione
 filii Dei celebrare Deum: Tandem conver-
 sus facie ad præfectum, intrepido animo, &
 infracta voce: latus unum jam satis, ut opi-
 nor, assatum est: appone igitur de illo quod
 vis, & comede: & reliquum latus inversum
 assa similiter. Atq; in hac constantia confes-
 sionis & alacritate atque æquabilitate animi
 perseverans, & subinde preces pro incolu-
 mitate & salute Ecclesiæ repetens, tandem in-
 craticula expiravit. *Conclusio narrationis, cui
 annexa est propositio orationis magis specialis.* Hæc
 historica narratio est de S. Laurentio admo-
 dum stupenda: Ex qua quæritur: Habuêrunt
 Laurentius satis gravem causam denegandæ
 Decio pecuniæ. Fueruntne factum Laurentii
 factum fortitudinis, an pertinaciæ & contu-
 maciæ, vel temeritatis. Non videtur, inquis,
 rectè fecisse Laurentius, quòd præfecto Im-
 peratoris nomine & mandatu petenti the-
 sauros Ecclesiæ ad usus publicos contuma-
 citer se opposuit, cum potuerit pecuniæ a-
 missionem & suam vitam redimere, & crude-
 litatem tyranni placare, ob hanc exacerba-
 tionem

tionem grassaturi atrocius in Ecclesiam, atque
 ita toti credentium cœtui tranquillitatem hoc
 obsequio comparare. Sed ego de exemplo
 Laurentii bene existimans, & reverenter ju-
 dicans, non tantum pie recteque eum fecisse,
 sed confessionem etiam eo ipso edidisse sta-
 tuo illustrem, quod maluit vitam profunde-
 re, quam postulanti præfecto pecuniam alle-
 nam proderet. *Confirmatio.* Primum enim cer-
 tissimum est, tyrannum non tantum quaesivisse publicam pecuniam, cujus custodierat
 Laurentius, sed stabilitorem Idololatriæ, &
 oppressionem Ecclesiæ, & everisionem totius
 ministerii, erepta ea pecunia, qua alebantur
 docentes, & cæteri egentes in illa Ecclesia. Si
 igitur Laurentius prodidisset Ecclesiæ the-
 sauros, efficacem causam præbisset delendi
 ministerium Evangelii, & conficiendi cultus
 idolorum, pulsus aut fame necatis piis Do-
 ctoribus & ministris Evangelii. Adde, quod
 violatæ, quam dederat, fidei scelere se polluis-
 set. Omnes autem Ecclesiæ cives gloriam Dei,
 propagationem & confessionem veri cultus,
 & sanctitatem fidei in infinitum anteferre de-
 bent omnibus hujus mundi voluptatibus &
 commodis. Præterea excellens hilaritas &
 lætitia Laurentii in media flamma ostendit
 eum recte fecisse, quod tyranno impio non
 cessat. Insultat in ipsis flammis tyranno, & jam
 jam

Ab effectu
 contrarii /
 probato à
 sine tyranni.

Ab adjun-
 ctis & effe-
 ctis Lau-
 rentii.

jam exhalaturus animum robor fidei & ani-
 mi ostendit: Quale Spiritus sanctus semper
 aliquibus subm. n. strar, ut spretis omnibus
 periculis & commodis ad defensionem glo-
 riæ divinæ, conservationem Ecclesiæ, confes-
 sionem patefactæ veritatis, afflatu & impetu
 divino tanquam fulmine ferantur. Talis mo-
 tus etiam cum fuerit in animo Laurentii, non
 dicendus est fuisse *ἄρα σίδειλο*, nec pertinacia,
 sed animi celsitudo & constantia citribuen-
 da est herolica, qua Spiritus sanctus de confes-
 sione & fide ejus testificari voluit. *Refutatio.*
 Sed cum aliquibus factum martyris Lauren-
 tii vel injustæ pertinaciæ, vel præcipitis auda-
 ciæ speciem habere videatur, expendamus
 nunc ea quæ contra nos afferunt. 1. Ajunt: *Object.*
 Latroni erepturo vitam, nisi pecunia detur,
 potius hæc danda est, quam vita amittenda.
 Vita enim longè nobilior ac præstantior pe-
 cuniis. Et: duobus malis propositis rectius est
 minus eligere. Petebat autem tyrannus non
 vitam Laurentii, sed pecuniam. Ergo Lauren-
 tius debuit pecuniam dare potius quam ty-
 ranno corpus crudelibus modis lacerandum
 objicere. Sed hic distinguendum est. *A latro. Solut.*
 ne quidem vita redimi potest privata pecu-
 nia: Sed publica & deposita non est transfe-
 renda. Et privatæ incolumitati religio sanctè
 data fidei est anteferenda. Illa verò pecunia

Ff ;

Lau-

Laurentii non fuit, sed publicè ei ab Ecclesia commendata. Idemq; sanctissimè promissit, se nunquam passurum, ut aliò, quàm quò destinata est, converteretur. Iustissimè igitur fecit, quòd mortem perferre maluit, quàm tyranno cedere, & fidem Ecclesiæ datam violare propter propriæ vitæ dulcedinem. 2. Objicitur hoc: Christus, Matth. 22. jubet Judæos didrachmon, quòd templi erat, solvere Romanis, & simul ostendere confessionem in defensione verorum cultuum & aliarum rerum quæ Deo deberentur. Jam si rectius erat Judæos didrachmon solvere, nec ostendere potuerunt Judæi confessionem in defensione sacræ pecuniæ: Debuit igitur & Laurentius potius pecuniam tradere, quàm vitæ periculum subire, nec in re tali confessionem prætere dere potuit. Hic respondendum est: Dissimilitudinem esse exemplorum. Multò enim aliter Romanus Cæsar, de quo responsum Christi loquitur, quàm Decius Ecclesiæ pecuniam petebat. Romani permittebant genti Judaicæ ἀυτονομίαν seu libertatem in cultibus: Decius idèd Ecclesiæ pecuniam ereptam cupiebat, ut in univèrsum ministerium Evangelii deleret. Fuit igitur in illa Laurentii recusatione etiam casus confessionis. 3. Opponitur istud admodum speciosè & plausible: Fuisse crudelitatem tyranni quoquomodo placan-

Object.

Solutio.

Object.

placandam, non irritandam, ne unius perti-
 uacia totius agminis credentium tranquilli-
 tas perturbaretur. Laurentium verò denega-
 ta pecunia exacerbasse animum tyranni, ut
 crudeliùs in universam grassaretur ecclesiam:
 Fecisse ergo injustè, & nimis temeraria auda-
 cia, cum sibi tam Ecclesie malum & pericu-
 lum tantum accivisse. Hic respondendum ve-
 nit: In Ecclesia non audiendam hanc vocem: Solut.
 ut quoquo modo etiam cum contumelia glo-
 riæ & nominis divini tranquillitas Ecclesie
 publica conservetur: Dicendam & propagan-
 dam veritatem ac gloriam Dei ab omnibus &
 singulis hominibus, etiamsi fractus illabatur
 orbis: Cumq; atrocissima fuerit scivida De-
 cii adversus Ecclesiam, debuisse Laurentium
 & alios pios quoquo modo ostendere, se cul-
 tus idolotum, quos stabilire & confirmare sup-
 plicis conabatur, serio & ex animo detestari.

4. Alii utuntur dicto Christi: **Auferenti pal-
 lium concede & tunicam.** Debent igitur (hoc
 enim inde putant confici) administri Eccle-
 siæ pecuniam potius quam vitam relinquere,
 præsertim cum sint talibus donis ornati, ut
 Ecclesie cum fructu servire possint. At Lau-
 rentius conservationem pecuniæ vitæ suæ
 prætulit. Fecit igitur injustè & contra Christi
 præceptum. Addunt: Ad Imperatores & prin-
 cipes omnes Ecclesiarum opes pertinere.

*
Solut.

In Decret.

Et illud Augustini: Tolle jura Imperatorum, & nemo dicere audebit: hæc villa mea est. Decium igitur pecunia istam sibi vindicare potuisse. Hic respondendum: Christum, cum Matth. 5. dicit: Ei qui vult tecum contendere, ut accipiat tunicam tuam, relinque & pallium tuum. Item: Ne obstito improbo: rationem seu injuriæ relationem ac vindictam privatam prohibere: decere non pensandam injuriam injuria: non permittere, ut quoquo modo vim vi repellamus, non tamen prohibere, quin ab injusta violentia deflectamus: alioquin id esset impiorum malitiam acere. De dicto Augustini respondendum: Id ita accipiendum, ut Imperator sit defensor Domini, depellens prædonem, ut sit minister sanctionis & ordinis divini in protectione & executione. Ordo autem divinus est: Labores manuum tuarum manducabis, &c. Fontes tui deriventur foras: Sed tu Dominus eorum maneto. Non furtum facies. Fuit igitur tyrannus Decius, nõ Dominus bonorum Ecclesiæ, nec rapere ex his ei licuit quantum libuit. Defensio tantum ei divinitus commendata erat, ut prædones arceret aut puniret, si qui involare in bona non sua conarentur. Sic & non aliter omnia sunt Imperatoris: id est, Imperator est custos tuorum & publicorum bonorum, quo ad defensionem, juxta legem (quæ est principalis

palli causa distinctionis dominorem) non
 huius, quod suum non est, sed alienum, vi ra-
 piens. *Peroratio.* Quæ cum ita sint, in primis q̄;
 animus Laurentii zelo divino accensus fue-
 rit, iniquus à quibusdam censoria virgula e-
 jus factum notari, si mecum statueritis, ora-
 tionis meæ finem affectus esse videor.

XCVII.

*An ἐτέργημα seu ἀποτέλεσμα, id est, opus melius sit
 ἐνεργεία, opera, operatione?*

QUORUM, inquit Aristoteles i. Ethico-
 rum, sunt fines quidam præter opera, in
 his meliora sunt operationibus opera.
 Hæc sententia vera est. Quia operatio querit-
 ur non sua, sed effecti causa. Sed dextrè intel-
 ligenda est, ac distinguendum. Quædam ope-
 rationes præcedunt opus, ut causa, id produ-
 cens: ut in arte ædificandi ædificatio præce-
 dit ædificium, id est, domum, ut causa hanc
 producat: Quædam autem prodeunt ab o-
 pere, ut effectum à causa, ut defensio ab inju-
 riis, protectio à frigore, imbribus provenit à
 domo. Cum igitur Aristoteles opera esse me-
 liora ait operationibus, intelligit operatio-
 nes antecedentes, non subsequentes. Scilicet
 subsequentes sunt meliores effecto opere,
 quia hoc ad eas destinatur & ordinatur, ut ad
 finem seu scopum. *Actions, exempli causa,*
 Ff 5 quæ

Fines superiores sunt meliores inferiores inferioribus.

quæ proficiuntur à procreato habitu sunt meliores & experibiliores habitu, quia perfectiores & faciliores: Quæ verò præcedunt habitum, ut imperfectæ & difficiliores, non sunt meliores.

XCVIII.

An opinio sit de omnibus: & an quaedam sit prava?

ARISTOTELES lib. 3. Ethicorum, cap. 1. Opinio, inquit, de omnibus esse videtur: non distinguitur pravo & bono. At electio non est de omnibus: distinguitur pravo & bono. Prius quomodo convenit cum veritate? quomodo cum posteriorum analyticorum doctrina, ubi traditur, quorundam esse intelligentiam, quorundam opinionem, quorundam scientiam? Sanè quædã sunt per se ipsa nota, aut sensui, aut menti. Non igitur opinabilia. Ignem esse calidum, & urere, non opinamur, sed novimus argumento *αἰσθησας*, id est, experientiæ testimonio. Totum esse majus parte sua, (ut similis *αἰσθησας*) intelligentiæ nostræ per se notū est. Non igitur est opinio. Aristoteles ergo *ἡγάτα* & cum restrictione atque exceptione necessaria, omninò accipiendus est sic: Opinio est de omnibus enunciationibus, quæ per se ipsas notæ nõ fuerint. Interdum etiam simpliciter necessaria sub opinio.

opinionem cadant, respectu diversorum hominum. Fieri enim potest, & quidem sæpè fit, ut, quod unus percepit scientia, opinetur alius, aut credat. Præterea, quomodo negari potest opinionum aliam esse pravam, aliam bonam? Respon. Alia est prava, id est, falsa: alia bona, id est, vera. Nulla verò est bona aut prava moraliter (possum enim ethicè esse bonus, & tamen habere falsam opinionem) nisi quatenus ex ea ad bonos vel ad praves mores atq; vitia incitor, & reddor proclivior.

XCIX.

An disciplina militaris finis victoria?

Distiuguitur.

ARISTOTELIS 1. Ethicor. cap. 1. ait, Medicinæ finem esse sanitatem: militaris artis finem esse victoriam. At contrarium asserit libro 1. Topicorum, cap. 2. nempe, Medicæ facultatis finem esse adhibere omnia quæ valent ad sanandum. Sic finis Oratoris est, nihil eorum prætermittere, quæ valent ad persuadendum, licet non persuadeat. Conciliatio horum locorum hæc esse potest: Distiugendum inter finem artis internum & externum. De interno loquitur Aristoteles in Topicis, De externo hoc loco. Internus est positus in artis facultate. Eum igitur ars semper consequitur. Externus in eventu positus

ck.

est. Hunc ars interdum non consequitur, etsi semper pro viribus nitatur eum consequi. Alii artis finem à fine artificis distinguunt: ut medicæ quidem artis finis sit, nihil omittere eorum, quæ ad sanationem faciunt: Medici verò sanare: quo fine non raro excidit. Alii respondent: in Topicis Aristotelem loqui philosophicè & *κατ' ἀφ' ἡσθεῖαν*. Hic verò populariter, seu *κατὰ δόξαν*, id est, ex opinione vulgi.

C.

An omnia peccata sint aqualia? Seu, an sit peccatorum gradus?

Negatur.

Exordium. Quemadmodum apiculæ non tantum colligunt amœnos & fragrantissimos flosculos, sed etiam mellificio student, idq; exercent, hoc est, succum florum in mel dalcissimum convertunt: Sic Scholasticos oportet non tantum accipere aliena dictata, præceptaq; artium addiscere, ac memoriæ mandare, sed etiam conati aliquid ex se gignere, & ab aliis tradita, lecta, auditaq; in suum succum convertere. Id quod fit quotidianis dicendi, scribendi & disputandi exercitiis. Manus scilicet, agebat Anaxagoras, crebrisq; hoc sermonibus Melanchthon usurpabat, est causa Sapientiæ, id est, optimus Magister est usus & exercitatio. Et alius, nescio quis: Tantum scimus,

scimus, quantum operari possumus.

Nec qui multa legis, sed qui scit idonea vite,

Hic, dicit Sapiens, cur mereatur, habet.

Si quid scis, neq; oratione perspicua atque diserta explicare potes, id ipsum quod scis, nescite videris: de Periculis sententia. Hæc cum ita sint, declamationum de rebus cognitu utilis exercitia in Schola nostra vigere, iisq; discentes ad *αεὶ* preparari debent. Ad quas, ut multi excitentur, præceptores melius tractatione alicujus utilis argumenti præire volunt. *Propos.* In præsentia igitur agam, ut meæ facultatula rationes ferent, de quaestione: an delicta paria censenda sint: & quidem eam negatè concludam. 1. *argumentum ex triplici peccatorū distinctione è causis.* Primùm enim Crimina quædam fiunt, præter voluntatem & consilium (*ἀκονσίως* & *ἀπειληδύτως*) temerè tantùm & fortuitò, nullo antegresso odio, vel ulla nocendi voluntate: Quædam certa destinataq; voluntate seu composito (*ἐκονσίως*) proindeq; ex maleficio penitus proficisci dicuntur: quò pertinent profecta ab odio per compositas insidias agente. Deniq; quædam sunt media inter voluntarium & involuntarium, ut quæ fiunt per iram, quam continuò sequitur pœnitentia. Hæc Platonis distinctio est, lib. 9. de legibus. Jam verò quis est τὰν ρυδῖς, qui nesciat voluntaria crimina esse graviora,

vlora, quàm errata fortuita? 2. *argumentum ab effectis imparibus.* Nam non omnibus peccatis unum supplicium constitutum est. Sacrilegii & parricidii crimina capitalia sunt. Mendacium capite non punitur: leuior est vis privata, quàm publica, & perduellionis crimen. Gravius est crimen verberare magistratum, quàm hominem privatum. Quòd fit, ut Plato iubeat personarum in æstimandis criminibus suppliciiq; sancientiis rationem haberi: veliq; in planè ἐνέστα & ἐκ συμβουλῆς profecta maleficia nullam excusationem cadere, sed in illa summo jure agendum & animadvertendum esse: Commissa verò peritam ex æquo & bono iudicem considerare & moderari debere. Quid? Quòd qui mulere liberum puerumve ad rem veneram vi subegit, non ab eo solùm, cui vis illata est, verùm etiã à patre, fratribus, filiis impunè occiditur. Plato 9. de leg. *Conclusio*: Uerigitur non æqualia omnibus eademq; supplicia delictis constituuntur: sic nec paria omnia delicta censentor.

C.I.

An publica munera mulieribus cum viris communia indiscriminatim esse debeant.

Negatur.

Exordium. Etsi Platonem divinum Philosophum agnoscamus: non tamen possumus

mus negare, quin in monumentis ejus tanquam in pulcro corpore, aliquis alicubi nœvus occurrat. Talls, & quidem crassus, est 6. lib. de Rep. ubi vult, eandem virorum & mulierû in civili administratione, in jure dicundo, in bello gerendo, in exercitiis deniq; capessendis, esse naturam. *Propos.* Ostendam igitur hac oratiuncula: In Republica exercitia & officia mulieribus æquè ac viris nō esse communia. Ac primùm eodem pacto, iisdemq; disciplinis mulieres institui non possunt, quo viri. *Confirmatio.* Unumquenq; enim in ea re peculiariter versari par est, ad quam natura fuerit aptus. Jam viro mulier est aptior ad colum & lanam, quàm ad exercitia certaminum gymnasticorum & equestrium. *Αποδειξαι.* *Ἡμοσίω* igitur fuerit, si mulieres curent se instituendas cum viris ad *πολιτικὰ δόγματα*. Nam natura feminea καὶ ἀντὶ τὴν naturâ virorum est infirmior. Deinde honestas & lex naturæ mulierem finibus quibusdam & cancellis verècundiæ circumscripsit & circumvallavit. Ut eos igitur transfiliat, non est admittendû. *Constitutio.* Nec quicquam obstat quòd in Republica Lacedæmonia nudæ certabant mulieres. *Ἀθήναι* enim non est trahenda in exemplum: non exemplis, sed bonis legibus vivendum. Et pravitatis nulla est præscriptio. Instituta igitur mulieribus cum viris non possunt esse commu-

commu-

communis. Aliud argumentum: Præterea mulieres ad civilis administrationis munera cum viris admitti non debent, quod iudicio fiat infirmiori: (unde rationem superiorem matrem: rationem verò inferiorem feminam dixerunt quidam Scholastici) & Deus velit penes virum auctoritatem & imperium esse, & virtutem esse mulieris caput. Quod cum valet in privato matrimonii imperio: non tamen minus valebit in publico. Utigitur, si manus capituli officium faciat, & caput manus, debilitari totum corpus necesse est: sic si mulier faciat, quæ viri sunt, & hic quæ illius, necesse est consequi rei publicæ exitium. Sic autem in musica plures tunc in unam harmoniam coalescunt: Sic officii muliebri & virili decoro servato, Respublica, modò cætera rectè habeant, conservatur. *Confusio.* At inquis: Canis sive masculus sive femina indiscriminatum ad custodiam admittitur: ita & mulieres per quæ cum viris ad Respublicæ *dictum* admittendæ. At inquam ego: Quæ hæc *dispositio* est? *avota* hæc est: non *divota*: seu potius *divota* Sophistica est. Sanè ut malo canem custodem robustiorem quàm imbecilliolem, sic malo in republ. virum, qui prudentior est & fortior, quàm feminam, quæ imprudentior & animo minori est, quam in custodiæ & educationis liberorum incumbere curam jubeo, imperium

Imperium arripere vero. Si tamen summa urgeat necessitas, aut lege alicubi mulieres cum viris nullo discrimine ad imperium recipiantur, imperandi auctoritatem & potestatem mulieri relinquo: præsertim cum credam velle interdum Deum mulierem imperare, patere viros, ad ipsorum virorum opprobrium *ἡγεμονίῃ* illo suo abutentium. J. han. Serranus in Platon. Dial. 5. *Conclusio*. Sed nos agimus de eo, quod est ordinarium, concludentes, regulare esse, ut vit Remp. administret.

CII.

An possit fieri, ut in potentia activa, id est, habitu acquirendo, actus, id est, operatio, tempore antecedat ipsam potentiam seu habitum?

Affirmatur.

Aristoteles in metaphys. Lib. 9. docet: In potentia activis non quidem naturalibus, sed iis quæ acquiruntur exercitio, ut disciplina & consuetudine, cujusmodi sunt artes & habitus morales, *ἐπέπειται* seu operationem esse priorem tempore, quàm est potentia, seu facultas, seu habitus: quis nisi quis frequenter fidibus cecinerit, non sit fidicen: & fieri non potest, ut ædificator sit, qui non ædificavit. Ac quis experitur, se non posse comparare sibi eloquentiam, aut virtutem aliquam Ethicam, nisi antecedant frequentes actio-

Qui discit
artem canendi
cithara, canis
crebrò cithara,
ut ad discat,
& sic
acquiris ag-

Gg

nes.

tem canen-
di cithara.

Object.

Resp.

nes. Sed hinc exitit occasio disputationis sophistarum attributæ Menoni à Platone, quæ ille conatur probare: nostrum discere nihil esse aliud, quàm reminisci earum rerum quas animus notat: nos nihil de integro addiscere; nobis scientias & artes esse *ἐπιστήμης*. Sic autem arguebant Sophistæ: Si quis addiscit aliquam disciplinam seu artem, addiscit eam, aut sine actione artis addiscendæ, aut actione hujus. Si sine actione, nunquam addiscet omnino: qui enim nunquam canit cithara, nunquam fiet bonus citharædus. Sin actione artis addiscendæ: addiscens erit sciens, nec indigebit doctrina. Verbi causa: si non addiscit artem canendi tibia, nisi qui tibia canit, & non canit tibia, nisi qui scit artem canendi tibia, *ἀδύνατος* est addiscere hanc artem, & fieri bonum tibicinem. Sequitur enim hinc, ut qui nescit tibia canere, agat seu canat actione tibicinis, & ex consequenti addiscens est sciens: quod implicat contradictionem. Nam si addiscit, non est sciens & gnarus: & si scit, non est addiscens. Addiscere enim & scire se habent ut via & meta, iter & terminus. Ad hoc spinosum objectum tenenda est hæc solutio: 1. Etsi animo nostro non sint congenitæ artes & scientiæ: sunt tamen quædam principia naturæ impressa, & naturales propensiones in diversis ad diver-

las

fas scientias & artes, ita, ut qui propenderit ad
 Muticem, facile laudabiles in ea progressus
 faciat: Contrà, qui non habet inclinationem
 ad eam, nec habet in se aliqua principia tan-
 quam semina, non proficiat in ea. 2. Addi-
 scens addiscit actione, quæ non est artis ad-
 discendæ eo modo, quo est addiscenda, id
 est perfectè, sed est artis, quæ later in suis
 principiis, ut seminibus imperfectè, quæ ars
 ita non addiscitur, sed inest sicut prima prin-
 cipia naturalia composita. 3. Nego hanc con-
 sequentiam. Ergo addiscens est sciens, nisi
 sic inferas: Ergo addiscens est sciens imperfe-
 ctè & virtualiter, quod concedo, & nego im-
 plicare contradictionem: quis habitus con-
 tineretur *divæper* in suis principiis. 4. Ad pro-
 bationem dico: Conditionalem hanc enun-
 tiationem: Si addiscit, non scit: posse esse ve-
 ram, & falsam. Veram quidem hoc sensu: Si
 est addiscens, non est sciens perfectè. Falsam
 verò isto: Si est addiscens, non est sciens im-
 perfectè. Similiter ista: Si scit, non est addi-
 scens, est vera & falsa. Vera sic: Si scit perfe-
 ctè, non addiscit. Falsa sic: Si scit imperfectè,
 non addiscit. Et quis incipiens canere tibia
 non producit hanc actionem ex arte perfe-
 cta, sed tantum ex primis principiis, velut è
 seminibus, in quibus non actu & perfectè,
 sed virtualiter ars continetur, sequitur, eum

Eg a

& an-

l. Object.

& ante artem non omninò malè canere tibia, & canendo melius paulatim artem addiscere. Decipitur autem Menon eo, quòd putat non habentem artem, nullo profus modo posse habere actionem artis, quod utiq; verum esset, nisi haberet principia artis animo suo ingenerata. At enim inquis, quòd contra assertionem nostram est: Si potentia, quæ exercitatione acquiritur, præcedit actus: necesse est, ut actus ille reducat ad aliquam causam, à qua producat. At igitur reducat ad habitum, aut ad potentiam naturalem, quæ nondum habet habitum. Pura, actus canendi tibia præcedens artem, aut reducat ad artem, aut ad intellectum nondum perfectum habitu artis. Si primum: falsum est actum præcedere potentiam, id est, habitum, quia effectus non præcedit, sed subsequitur causam. Sin secundum: actus præcedens habitum, & actus productus ex habitu, nò sunt ejusdem rationis, cum unus producat à potentia naturali nondum deducta ad habitum, id est, ab intellectu nondum acquisita arte: alter verò à potentia ad habitum deducta. Atque ita sequitur: ex actionibus illis præcedentibus, cum sint quasi æquivoci, non procreatum iri habitum, à quo postea eliciuntur similes actiones. Hic respondendum: Actionem, præcedentem virtutem seu facultatem acqui-

Naturalis
potètia hinc
opponitur
artificiose.

Resp.

sen-

rendam exercitatione, reduci ad potentiam naturalem nondum ad habitum deductam, sed ut in se habet principia & inclinationes ad habitum. Actum neganda illa consequentia: Ergo actus præcedens habitum, & actus productus ex habitu non sunt ejusdem rationis. Ad probationem autem dicendum: Actiones præcedentes & subsequentes, licet non sint à potentia eodem modo se habente, tamen non distingui formaliter & specificè, sed accidentaliter, ut minus & magis perfectum, quæ non mutant speciem. Sunt igitur, quod consequens est, univoci. Postremò negandum est, actiones antecedentes habitum, non posse esse procreantes causas artis: quia producuntur à potentia naturali, in qua sunt *ἀρχαὶ* seu *πρώται*, id est, prima principia artis, velut semina, in quibus, ut causis, ars addiscenda continetur. Porro Menonis argumentum hoc fuit: Cum quæratur virtutis cognitio, eam vel cognoscimus, vel ignoramus. Si cognoscimus, inveniemus quidem: nihil tamen novi discernimus, sed illud idem, quod antea novimus. Si verò ignoramus, nunquam inveniemus. Id exemplo servi fugitivi declarari potest. Etenim si alicujus servus aufugerit, quem antea Dominus noverit, dominus eum quærens, si in illum incidit, statim agnosceret. Si verò non noverit, nunquam

s. Object.

Dilectus.

G g ; quæ

quam inveniet: quia etiam si in ipsam incidit, non cognosceret illam esse, quem quaerit. Respon. ex Aristotele: committi hic Elenchum *καθὲρ τὸ ἐλλειπὲς διαφέρεται*. Præter scientiam enim rei perfectam & ignorantiam perfectam datur medius quidam *ἡμίτερος*, seu modus cognitionis, quæ dicitur cognitio virtualis & imperfecta, à qua ad perfectam scientiam, ut à potestate ad actum, transiri potest: sicut medium est in generatione physica, inter ens perfectum, & purum nihil: scilicet Ens potestate, (materia) ex quo fit ens perfectum. Cùm igitur Menon apud Platonem dicit: Vel cognoscimus id quod quaerimus, vel ignoramus, responderetur: quòd neque perfecte cognoscamus eam rem, neque prorsus ignoremus, sed confusam & imperfectam ejus notitiam habeamus in principiis suis jam præcognitis, seu anticipatis notionibus, quæ nos aptos reddit ad plenam ejus rei scientiam comparandam. Non itaque sequitur, nos vel nihil discere, vel illud idem, quod prius novimus (quod posterius statuit Socrates.) Discimus enim, sed non idem penitus: quia non secundum eundem modum, quo novimus: Si quidem quod novimus cognitione universali, potenciali, & confusa, idem discimus cognitione distincta & particulari, quam prius non habuimus. Dicam

ἐ κεφαλαίῳ, id est, summatim. Si id quod quaeritur, est antè perfectè cognitum, non fit scientia nova, sed reminiscencia. Si verò est omnino ignotum, non potest inveniri: quia sicut ex nihilo nihil fit: ita ex nulla prorsus præcedente cognitione nihil discitur. At certum est homines acquirere novam scientiam, quam antè non habuerant. Medium igitur sit, necesse est, inter perfectam notitiam, & perfectam ignorationem, nempe cognitio confusa, incoacta & virtualis, qua possit perfecta & actualis rei scientia comparari: ut ex homine potestate, potest fieri homo actu. Nec quicquam absurdi est, si quis id quod discit dicatur scire quodam modo, & ignorare quodam modo. Ad extremum dixerit, **Objecta** quispiam: potentiam illuminatricem in Sole priorem esse natura Solis illuminatione: & potentiam ἐνεργητικὴν ingrediendi tempore priorem esse in animante quàm ipsam ingressionem. Itaque non esse generaliter verum, si dicatur, actus tempore esse prior ἐνεργητικῆν potentiâ. Resp. Hoc facillè concedo: Quia ἐνέργεια seu actus tempore præcedit activam potentiam, non omnem, non quamvis: non enim naturalem, sed tantùm eam, quæ acquiritur, aut disciplina, ut artes: aut cõfuetudine, ut habitus morales.

CIII.

An vitia sint conjuncta necessariè?

Negatur.

EThi peccatū non solet esse unum & simplex, sed cum eo alia cōjuncta, quod peccatum nostrorum primorum parentum luculenter ostendit: tamen peccata non sunt ita inter se cōnexa, ut ubi est unum, omnia simul inveniuntur. Nam ne quidem virtutes philosophicæ (nihil enim nunc de sanctis viris, qui sacro virtutum choro egregiè stipati fuerunt) prorsus conjunctæ sunt. Esi enim absq; prudentia, reliquæ virtutes existerè non possunt (cum earum unaquæque sit habitus secundū rectam rationē, & rationis rectitudo in prudentia consistat) tamen ornatu omnibus virtutibus in hac naturæ corruptione esse nō possumus. Addit, quod sæpe fit, ut unum vitium pellat alterum: ut ambitio avaritiam, avaritia ebrietatem: præterea cum omni virtuti repugnent duo vitia, qui uno laborat, non contaminatur altero, exempli causa, nemo idē est simul audax & timidus. Non igitur necesse est vitia inter se esse eonnexa conjunctaque. Sed huic assertioni opponi potest locus Apostoli Jacobi, qui in uno offendit, factus est omnium reus. Unum igitur vitium admissum omnia alia secum trahit. Hic verè responderetur, sententiam Apostoli intelligendam de Caritate, quæ

Object.

Sol.

pet

per quodlibet peccatum violatur: hac sublata omnia erumpunt vitia. Qui labitur in aliquod peccatum contra Deum vel proximum, statim arguitur reus violatae caritatis: quae τὸ πρῶτον summa & plenitudo legis est.

CIV.

An rectè fecerit Cicero, quòd à vita politica transfuerit ad vitam Theoreticam: an exclusus à Reip. ad philosophiam rectè sese contuleris?

Affirmatur, quòd ita plus profuerit otiosus, quàm occupatus.

Cum de rebus omnibus, tum de aliorum factis & consiliis non rarò varia sunt hominum iudicia, ut eadem ab aliis laudentur, ab aliis reprehendantur: laudatur ab his Cicero, quòd à Republica ad scribendi operam se contulit: ab illis contra reprehenditur. Quid mirum? cum multis aetatibus nulli viri magni exstiterint, qui suos annulos non inuenerint. *Propositio.* Tantum vero abest, ut reprehendum eum hoc nomine existinem, ut non minus quàm Herculem illum in Deorum immortalium numero collocandum pronuntiem. *Confirmatio ab effectis per collationem à minore & concessionem.* Nam si æqui velimus esse iudices, agnoscamus oportet, Ciceronem multò plus otiosum, quàm occupatum, publicisq;

Exordium
à dic. homi.
num factis

negotii implicatū & profuisse & præstitisse. Magnum est, fateor, præclarissimos quosque post homines natos Rempub. re & moderari. At ramentum quis dubitet infinitis partibus esse majus, ipsam bene beateq; vivendi rationem non solum latinis literis illustrare, verum etiā meliorem & uberiorem reddere. Illud enim populo tantum Romano & Ciceronis civis profuit: Hoc vero universo hominum generi & posteritati, ad quam divini istius ingenii opera erant perventura. *Hic plenius exponere Ciceronis in posteros merita.* Ut porro res magna cum difficultate, sic pari cum laude conjuncta fuit Catilinas, Clodios, aliaq; id genus monstra Reipub. partibus partemve ruinis avertere. Sic difficilius sanè & pulchrius, animum à perturbationum servitute vindicatum in libertatē asserere. Locus erit usquam tutus, quo te abdas à tyranni cōspectu: At cupiditates in ipsis visceribus & medullis hærentes, quorsum effugies? Tyrannorum crudelitati quid præter corpus & fortunā expositum est? At cupiditates ipsos animos exagitant, & perpetuo cruciatu exedunt. *Clausula.* Plus igitur profecit & præstitit Cicero, cum philosophiam affectuum dominam, & virtutum magistram, apud suos jacentē excitavit, quā cum Italiam cæde & vastatione liberavit. *Refusatio.* Sed quid adversarii? Impletatis ipsura

ipsum accusant, quòd patriam gravissimè affli-
ctam & laborantem deseruit. Scelus id quidè
nefarium, si vel animi imbecillitate, vel otii &
voluptatis frivitione ductus, vel cupiditate fe-
cit: sed quotusquisq; ignorat, Ciceronè non
solùm, sed multos alios claros viros à Repub.
exclusos, ut nullius vel consilio vel auctoritati
locus esset.

Conclusio. Quamobrem quis reprehenden-
dum Ciceronem, & nò potius summis laudi-
bus efferendum, ejusq; otium & Scipionis &
quorumvis aliorum negotio præferendū du-
cat? quando illo non solùm Romano nomini
perpetuam laudem, sed universo mortalium
generi majorem, quàm dici possit, utilitatem
attulit.

CV.

*An L. Junius Brutus justè egerit & fortiter (non cru-
deliter) quòd ne suis quidem filiis proditoribus
seu Regum restitutionem machinanti-
bus pepercerit.*

Affirmatur.

Cum amabilis virtutis pulcritudo sit, eiq;
laus de beatur (unde philosopho bonū
ἐπαινεῖται dicitur) & cōtrà vitii detestabilis
fit ac vituperio digna deformitas, ut multi ad
illius studium inflammètur, ab hoc verò mon-
stro avocentur, apud studiosos sæpe bonorū
homi-

hominum, impricatisq; antiquorum præclara facta celebranda, cōtra malorum facinora reprehendenda sunt. *Propositio.* Præter cætera igitur, quæ multis ab hinc annis apud veteres Romanos laudabiliter gesta sunt, laudibus efferenda videtur Lucii Junii Bruti Consulis severitas, quam in suis filiis plectendis regum restitutionem molientibus, adhibuit. *Ratio.* Hic enim, si usquã alibi clarissimus justitiæ & fortitudinis splendor, hic quantũ maximum Reipub. studium elucet. *Confirmatio, & primum de Justitiâ.* Isti virtutum reginæ quidnam cognatum, si hoc non est, tam religiosum ministrum legum se præbere, ut non modò non in aliorum sceleribus connivendum putaverit; sed ne in suorum quidem liberorũ, quos ipse & pater, & cōsul, gravissimo, justissimoq; supplicio mactandos pronuntiavit? De æquitate, quod dubitaveras, nihil est. *Primo à minore.* Nam si Tarquinio Collatino, Bruti in expellendis regibus socio, propter solum Tarquinii nomen Imperium legitimè abrogatum est, universo populo Romano, & hoc ipso Bruto iudice: quis iniquum censeat, hosce juvenes, perditis ipsorum machinationibus, manifestè deprehensis, capitis supplicio addictos. *Secundo ab adversis.* Deinde cum gravissimæ fuerint causæ regum exterminandorũ, quæ potuit esse justæ eorum revocandorũ? *Tertio à suis.* Quid deni-

deniq; temerarios adolescentes ad tam nefarios ausus impulit? an commiseratio? an amor Reip. an studium æquitatis, quod iniquum putarent, reges avito exutos regno perpetuo multari exilio. Nihil horum spectatum est, sed ad suam sceleratè vivendi licentiam, qua sub regibus unà cum ipsis regibus usi fuerant, recuperandam tanto studio incubuerunt. Feruntur enim dicitare soliti, aliorum libertatem in suam cessisse servitutem. Equissimo igitur supplicio quis neget affectos, quis morti destinatos iniquum iudicet? *Amplificatio hic fieri potest à collatione nostrorum magistratum, quorum pleriq; non in suis tantum, sed in quibusvis sceleratis aliis puniendis nimis, quàm dissoluti sunt.* 2. *De forritudine.* Cogitemus porro, quanta vis sit paterni amoris, ut mirari possimus divinam in hoc animi magnitudinem, quòd huic tam tristi spectaculo non solum adesse, sed etiam præesse sustinuit, quod vélata in filios sententia, nusquam ab hominum oculis, omnibus præ admiratione in se conjectis, recessit: sed in sella residens consulari filios, & virgis cædi, & securi percuti spectavit, ne colore quidem quod animadverti posset, immutato.

Amplificatio dissimil. nostrorum parentum collatione qui mortis instar putat, si suos delicatos filios virgis vel paululum cæcos audiant. 3. *de Re-publ.*

publ. studio. Ad extremum quid univēſæ Reipub. accidere potuit optatius, hoc ipſo ſupplicio, quod cæteris omnib. teſtimonio eſſet, nec ſeſe laturos impunè, ſi quid contra Rēp. in iſtis peſtibus reſtituendis machinarentur. Hic autem ſi remiſſas & diſſolutus eſſet cōſul in ſuos, an deſuturos putas, qui exemplū imitarentur: Multos quidem ſui nominis infeſtos habebat hoſtes: Sed non pauciores ejuſdem ſtudioſiſſimos, præſertim florētiſſimos quoſque ex nob. litate adoleſcentes, quid autē futurum erat? Nimirū ut iſtis proditoribus, unā cū ipſis intra mœnia dēgentibus, Tyranni, nihil ipſis tale cogitantibus, in urbē reciperent, & liberate, tantis puta difficultatibus erepta, inſinitis partib. graviorem imponerent ſervitutem, quàm qua ante fuiſſent preſſi, ſiquidē ſervire licuiſſet quibus ad unum omnib. præſentiſſimus imminēbat interitus, ſed ſeveritas iſta hoc quicquid fuit mali potuit avertere. Hæc igitur, ſi non iniqui iudices eſſe velimus, agnoſcamus oportet.

Reſuſatio. Sed quid audlo? dicat aliquis. Itane juſtitie & fortitudinis laus, I tane Reipublicæ ſal? ſillorū ſanguine patri quaſita eſt? Næ illa juſtitia non eſt: acerbitas & rigor juris eſt. Næ illa fortitudo nō eſt: crudelitas & ſavitia, adeoq; *ἀσπρῆ* eſt. Næ Reipublicæ ſalus nō eſt, certiffima potius perniciēs eſt. Mitiganda deni-

denique pœna, si non remittenda, fuit. At in-
 quã ego: severitas hæc Bruti fuit à *μεγιστοπολι-*
τεια aliena, nõ se vitia & crudelitas. Crudelitas
 enim, sic dicta à cruore, quo se vi homines in-
 star ferarũ deleãtur, vel à crudis carnib. quib.
 immanes & barbari quãdoq; vescuntur. Cru-
 delitas in quã, est vitiosus affectus vel habitus,
 quo ad aspera, dura & atrocia citra rationera
 inclinamur. Jam verò Brutus nõ infixit pœnã
 capitis filiis suis sine causa, nõ excessit hic mo-
 dum rectæ rationis, qui ad punientẽ justitiam
 pertinet. Bonum publicum spectandum erat
 patri, ut consuli, non privatum. Itaq; non ha-
 buit hic locũ istud Miltonis apud Terent. *Non*
neceſſe habeo omnia pro meo jure agere. Minuen-
 dæ quidem pœnæ à judicib. potius, quàm au-
 gendæ, quæ Jurisconsultorum regula est. Sed
 accipiendæ ea est hac cũ restrictione: Quantũ
 delicti natura & cõmoditas Reipubl. patitur.
 Hic autem Reipublicæ necessitas, exquisitam
 pœnam, quæ cõstituta erat, urgebat. Quod de
 pernicle Reipublice objectũ est, concederem
 equidem, si bonæ frugis adolescentes fuissent.
 Tum sanè magnũ Reipublica accepisset de-
 trimentũ ex illorum supplicio. Sed bonæ spel
 non fuerunt. *Peroratio.* Quæ cùm ita sint, uno
 omnibus ore prædicandã cenſeo admirabilẽ
 Bruti (minimè bruti) justitiam, divinã animi
 magnitudinẽ, mirificẽ in Rempub. propẽsam
 volun-

voluntatem: qui ne suis quidem, execrabilibus ipsorum in partem deprehensa impietate parcendum censuerit, sed ipsemet capitibus ipsos damnaverit, & supplicii spectatore se se præbuerit, omnibus ad stuporem usque tantam severitatem & fortitudinem admirantibus. Eant nunc qui dicunt, injustitiam in Bruto habuisse quidem speciem justitiæ, veritatem, & violentiam fortitudinis, sed neutrum hoc ipsum fuisse, cujus falsa se se specie venditarit.

CVI.

An hosti adversus hostem uti liceat dolo malo?

Affirmatur cum distinctione.

Exord. à sentent. generali.

Propos.

Quicquid usquam rerum arduarum in hoc mundo rectè geritur, id sapientiæ & fortitudine cum animi tum corporis administratur. Et quidem fundamentum negotii est sapientia. Deinde accedat fortitudo necesse est. Priusquam incipias consulito, ubi verò consulueris, maturè factò opus est, ait Historicus. Frustra sunt arma foris, nisi sit consiliū domi, ait Cicero. Et in strenuo exercitò duce requiritur ut sit egregiè oculatò (id est, sapiens & prudens) animo strenuus & manu promptus. Quæritur igitur nõ immeritò de verisutis Imperatoris (Græcis sunt *στρατηγῶν*) & dolo malo, an

iis contra hostes uti liceat. Respondetur affir-
 mate. 1. Nam licet adversus hostes justis ar-
 mis pugnare. Jam verò doli sunt instar armo-
 rum, ut ubi violentia nihil geri potest, adhi-
 beatur verus doli: sicuti dici solet pulcrè: Quid
 non potest pervenire leonina, vulpina assue-
 da est. Doli igitur admittendi sunt adversus
 hostes. 2. Si vim vi repellere licet ex legū con-
 cessione, cum alia via evadendi non concedi-
 tur, licet quoque fraude contra fraudem abuti.
 Sed verum prius. Qui enim vim vi repellit, ut
 leges concedunt, non est habendus privatus:
 quia à magistratu armatur, magistratus porri-
 git ei gladium defensionis causa. Ergo verum
 quoque posterius. Itaque ei qui repente op-
 primitur, si dolo malo evadere possit, conce-
 ditur. 3. Illud Poëta: Dolus an virtus quis in
 hoste requirat? probant ac suffulciunt etiam
 leges constitutæ (vulgò positivæ) ut Cæsareæ.
 In C. de Commerciiis & mercatoribus, l. non
 solum, dicunt Imperatores non solum bar-
 baris annon minimè præbeatur, sed etiam, si
 apud eos inventum fuerit, subtili auferatur
 ingenio. Quidam etiam ex jure canonico pro-
 bationem petunt. In decretis enim 22. quaest.
 2. cap. utilem dicitur ex Hieronymo: Utilem
 simulationem & in tempore assumendam Je-
 hu Regis Israël nos doceat exemplū, qui cum
 non potuisset interficere sacerdotes Baal, nisi

se finxisset velle idolum colere, dixit: Congregate mihi omnes sacerdotes Baal, si enim rex Achab servivit Baal in paucis, ego serviam ei in multis. Sed hanc probationem non censeo urgendam, cum *versus* habeat nonnullas. Verum sequentibus tamen hic opus est cautionibus, auctore P. Martyre. Prima est: Hostes intelligendos hic esse non quos privatus quisq; sibi odio habendos in animum suum induxerit, sed quos vel Deus ipse, vel Respublica, vel justus magistratus declaraverit. Altera: Interposito jurejurando non est utendum dolo, Imò etiam in non juratis promissionibus & pactis honesti & justi hominis est bona fide agere. Legimus exilii Hierosolymitani causam *versus rapinam* Regis Sedechiae perfidiam & rebellionem fuisse, qua Babylonicum regem supra modum incendit & exacerbavit. Quam perfidiam & Nebuchadnezar Sedechiae objicit 4. Reg. ult. & Ezechiel cap. 17. notavit his verbis. Vivo ego dicit Dominus: Quia juramentum fecit quod sprevit, & fœdus quod pravaricatus est, ponam in caput ejus, & expandam super eum rete meum. Hosti igitur vel impio fides servanda est. Ultor enim est Deus perfidiae & violati jurisjurandi: Deus est profanati nominis sui vindex acerrimus, sive pio & Christiano imposueris, sive *adversus* impium & Ethnicum fefelleris. Exempla

pla nimis multa puniæ perfidiæ exstant. Anno Domini (quod commemorabile est) 1444. 10. Novembris ingenti clade Ungaricus exercitus ad Varnam cæsus est. Trucidatus Udislaus Rex Ungaricus. Confessus in fuga Cardinalis Julianus: Quia induciæ, jurejurando Turcis confirmatæ, violatæ erant. Perfidiæ hujus auctor exstiterat Julianus Cardinalis, qui nefas esse affirmabat, Concordiæ fœdera cum Turcis sancire, non consentiente Romano Pontifice. Tertia: Interposito tamen etiam jurejurando fas est dolo uti, & fidem non præstare, si adversa pars, cui juratum est, à conditionibus & pactis prior discesserit. Tunc scilicet pervulgata sententia rhythmica locum invenit: frangenti fidem fides frangatur eidem. Et hæc: frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat, c. Frustra 75. de reg. jur. in 6. Ex dictis facillè intelligitur, quatenus hosti fides sit servanda.

CVII.

An debeat Magistratus reos impunitos dimittere? An liceat ei poenas à legibus impositas relaxare?

Prius negatur: De posteriore distinguitur formula orationis, qua admonentur Magistratus de puniendis facinorosis.

Hic a Exordium

Exordium. Pro se quisque, auditores lectissimi, dabit operam, ut quantum possit in commune conferat. Ratio à fine est, non enim solum nobis aut paucis quibusdam natum sumus, sed universo hominum generi, nos præsertim, qui Christianæ militiæ nomen dedimus. *Narratio cum propositione.* Quapropter cum omnes circumcirca Respublicas aspicerem, incredibilem quandam legum dissolutionem, disciplinæ laxationem, & peccati impunitatem animadverti: quam quidem cum nec debeam nec possim tollere: Christianos tamen legitimosq; magistratus, communis officii ratione sic efflagitante, saltem appellandos puto, ut certissimis istis humani generis pestibus, omni abjecta cunctatione, obviam eant. *Confirmatio. Propositio syllogismi illustrata simili.* Nam ut animosi fidelesq; medici membra sanguine & spiritu destituta non dubitanter præcidunt, ne totum corpus inficiatur: Sic & pii magistratibus de medio tollendum est quicquid legibus repugnat, quicquid societatem violat. *Approbasio.* Legum enim æque ad eod ipsius Dei Opt. Max. vox est & minister, nec frustra gerit gladium, ut est in epistola Pauli ad Rom. 13. *Assumptio.* Legibus autem quid magis est contrarium? societati quid magis inimicum, quam execrabiles ille pestes, quæ per universum terrarum orbem

pro sua

pro sua libidine hoc nostro præsertim exulcerato seculo grassantur? Quas narras pestes, inquires. Omne genus sceleratorum hominum, percussores, adulteros, fures, prædones, contumaces, & sexcentos alios, qui hos ipsos ceu quadam sceleris cognatione attingunt. Leges, quas violant, ipsa mater natura constituit, & partim per sacra volumina, partim per profana disseminata sunt, sed sacro decalogo quasi fasciculo & perfectissimo compendio comprehenduntur. Sic autem si pergent, societas qui stabit salva non solum hominum inter homines, sed etiam que mortalibus est cum immortalis Deo Christi beneficio conjuncta? Omnes ordines simulacricolis raptoribus, furibus, mœchis, qui non solum affectu, sed re tales existunt, abundant. Omnes autem in quibus aliqua virtutis indoles inest, & qui suis rationibus consultum cupiunt, perditissimum id genus hominum cane pejus & angue oderunt. Et rectè quidem. Nam & Apostolus in 1. ad Corinth. cap. 5. eorum consuetudine nobis interdicit. Societas igitur, qui poterit dissolvi si magistratus in tempore evigilans hujusmodi gangrænas excidat: Sin autem in utramvis aurem pergerit dormire, non se tantum, verum etiam suos cives (serpit enim indies latius hoc malum, & vires acquirit cundo, ut cum Poëta loquar

Hæc 3. gravi

gravi & eleganti) ab æterni Dei societate dif-
 junctos in densissimas orci tenebras conjici-
 et. *Conclusio.* Quemcumq; igitur Magistratum
 aliqua vel suæ vel civium suorum salutis cura
 attingit, is, diuturno isto veterno excusso, to-
 to pectore huc incumbet, ut leges vitiorum
 fluctibus propemodum obruta tandem ali-
 quando emergant, ut judicia planè erigan-
 tur, ut consceleratæ istæ hominum figura be-
 stia meritis mactentur suppliciis, & sic homi-
 num cætus inter se celebrentur. *Refutatio.*
 Nec est quod mihi objiciatur, Principes de-
 bere esse in clementia & lenitate imitatores
 Christi, qui adulteram absolvit. Decet sanè
 principem clementia, eaq; propius ad Deum
 accedit. At inde non efficitur, licere ei pœnas
 justas prorsus remittere, sed mitigare. Modò
 clementia, modò severitas est adhibenda. Ac
 uti quidem clementia licet, quatenus nò ad-
 versatur justitiæ, quatenus non parit rerum
 humanarum confusionem, quatenus deniq;
 certa pœna non est definita legibus. Clemen-
 tiæ locus est, si relevatur causa ex circumstan-
 tiis personarum, loci, temporis. Clementiæ
 autem non pro libidine, non temerè casu, sed
 ex recta ratione rigorem sententiæ temperat,
 & aliquid de pœna remittit. (Nam cum justa
 pœna universa remittitur, hæc est venia.) Sin
 atrox incidat causa, adhibenda est severitas:
 qua

quæ non est crudelitas, vitium modum excedens in pœnis ex animi atrocitate: sed legitima iustitiæ punientis actio, salutem Reipublicæ spectans. Hæc congruunt cum ll. civilibus. In titulo enim de pœnis, Respicendum, ita scriptum est: Non captent iudices gloriam aut lenitatis aut severitatis. In levibus tamen criminibus permittitur propensitas aliqua ad lenitatem: in gravioribus autem ad severitatem, sed adhibito temperamento benignitatis. Quod Christus adulteram absolvit, nihil officit nobis. Christus enim dum in terris egit, non gessit magistratum, sed fuit interpret voluntatis patris sui. Non igitur debuit adulteram capitis damnare. Ejus tantum officium fuit, admonere adulteram, ne amplius peccaret, legitima in eam animadversione magistratui politico relicta. Is cogitabit madata Dei esse observanda: sibi autem præceptum esse, ut malum de medio sui tollat, ne parcat reo, ne misereatur ejus, neve abscondat eum, Deut. 13. v. 8. 9. 22. vers. 21. 24. vers. 7. Cogitabit, se non posse benignum esse de alieno, hoc est, pœnam remittere, quæ Deo, cujus iudicia exercet, debetur. Cogitabit, idem gravissimè punitum esse Achabum, quod non occiderit Benhadabum morte dignum in potestate redactum, 3. Reg. 10. vers. 41. Saulum, quod pepererit Amalecitarum Regi Agago, à Deo

Hh 4 sejectum.

rejectionem, 1. Samuel. 15. ver. 18. & sequent. Davidem, quod filio parricidæ peperisset, regno propemodum excidisse, 2. Samuel. 15. & cap. seq. *Clausula.* Ex his apparet, non rectè passim hodie magistratus maxime superiores sibi vindicare potestatem concedendi impunitatem criminum etiam graviorum, ob intercessionem seu deprecationem puelle, malefici matrimonium petentis, ob pompam nuptialem, & maxime novi principis inaugurationem: Unde iudicium quoque fiat de eo, quod quidam principes Christiani in hebdomada sancta, quam vocant, aperiunt carceres, & fontes impune dimittunt: Quod etsi excusare aliqui conentur exemplo Romanorum, qui in paschate hominem aliquem damnatum Judæis dimiserunt; nihil tamen eis hoc patrocinatur. Deus enim nusquam iussit, ut in sanctissimo aliquo die festo, aliquis noxius dimitteretur. Romani autem hoc pacto Judæis ad blandiebantur, ut eandem servitutem facilius tollerarent, teste Martyre Claf. 4. com. locorum, pag. 923.

PROBLEMA CVIII.

An veritas interdum sit dissimulanda? An oratio interdum accommodanda sit ad sensus voluntatesque audientium, non ad veritatis normam?

Resp. divisione sententiæ.

NON

vè: sed non cuivis, sed his quorum interest, id est, qui in officio sunt (ut sunt *δημογρονται* & Oeconomi *οικονομοι* θεῶ) etsi vel vera dicendo parum aut nihil proficiatur (eventus enim Deo committendus : Eventum committe Deo, & fac consona recto) sed exasperentur magis homines. Ad summam: Norma dicendi non debent esse affectus sensusque hominum, sed veritas, honestas & necessitas. Non est oratio attemperanda auditorum affectibus.

PROBLEMA CIX.

An liceat quasdam leges non sine ratione in Republicas sancitasq; interdum abrogare?

Affirmatur.

DICITUR, ejusdem esse abrogare legem qui cōdidit. Et pro certo habetur, licere quasdam leges civitatis abrogare interdum, præsertim si Reipublicæ aut præsentis status ejus incommodare videntur. Dicas fortasse, huic sententiæ non subscribo, motus his rationibus: 1. Sancta nemo debet violare. Leges sunt sanctæ, quæ sententiæ juris est: non igitur sunt violandæ, & ex consequenti non sunt tollendæ. 2. Periculosa mutationes in Republica sunt vitandæ. Legum abrogatio parit mutationem periculosa in Republica: Ergo est vitanda. 3. Etiam

Object.

iam mala bene posita non sunt movenda, ut à Græcis dicitur. Ergo neque leges incommodas λένν seu abrogare licet. 4. Quod consuetudine fit plurimorum consentientium, jure approbatur. Sed pleræque nationes & politiz omnes utuntur quibusdam legibus & moribus receptis, veterumque institutis, quorum manifesta est incommoditas, penè dixissem absurditas. Ergo incommodi etiam ac vix tolerabiles mores seu leges servandæ sunt. 5. Legum correctio est evitanda, *C. de appellat. l. præcipuus*. Ergo multò minus suadenda est earum abrogatio. Hæc ergo sunt argumenta in partem negantem. Sed solutiones eorum tenendæ sunt. De primo: Respondeo ad majorem, quæ sententiam juris continet, sumptam ex *C. de legibus, l. leges sacratissimæ*. Leges sunt sanctæ, scilicet in vero ac ad felicitatem comparato usu. Est autem legum verus usus, ut Reipublicæ salutem confervent. Lex salus populi esto: Cicero. De secundo: Respondeo ad minorem. Legum abrogatio est periculosa, si scilicet leges istæ Reipublicæ sint utiles, non perniciosæ. Addo etiam, cautè abrogandos esse malos mores, quos temporis diuturnitas confirmavit, quique hominum animis penitus insederunt. Detestio; Respondeo

deo ad antecedens, quod continet consilium, monens, non temerè esse aliquid mutandum, sed presentia etiam cum aliqua molestia & incommodo ferenda esse. Verùm ubi evidens utilitas mutationis elucet, mutatio instituenda est. De quarto: Resp. ad majorem. Quod consuetudine sit honesta, & legibus approbata, approbandum est. Major igitur non nisi determinatè vera est. De quinto: Respondeo ad antecedens: Legum correctio est vitanda, scilicet temeraria, nulla necessitate probabili suscepta: præterea sententia antecedentis de correctione legum communium seu Imperialium principaliter intelligenda est.

PROBLEMA CX.

An honestum sit facere velle hosti, quæ ipse data occasione adversus nos faceret?

Affirmatur.

TURPE est ea non facere velle hosti, quæ ipse data occasione contra nos faceret. Hæc sententia est Demosthenica in Olynth. Verùm impia hæc fortasse cuiquam videatur, qui objecerit sic: Nulla sententia pugnans cum Christiana religione, est recipienda. Hæc sententia talis est: Ergo non est recipienda. Assumptio probatur. Christiana religio jubet diligere inimicos, & persecutores.

Ita

Ista verò Oratoris sententia jubet vicissim insectari, & hostili more adoriri hostes: sicut etiam Pindarus in Pythiis, Oda 2. Adversus hostem, inquit, sicut hostis lupi instar curram. Huic quod respondendum sit, porro attende. Non omninò pugnant sententiæ illæ inter se. Nam Christianæ religionis sententia loquitur de privata dilectione, qua singuli complecti debemus proximum nostrum etiam tum, cum persequitur & odit nos. Est enim vindicta privata soli Deo committenda. At Demosthenica & Pindarica sententiæ potius de publica vindicta, per ordinariam potestatem seu magistratum exercenda in bello vel extra bellum, intelligi debent. Et Pindari quidem dictum eatenus verum est, quatenus accipitur de hostibus, justis armis concertantibus. Ibi enim hosti non est parcendum. De quo istud Germanorum: *Man soll seinen Feind nicht sparen.*

Resp. ad as-
sumpt.

PROBLEMA CXI.

An Ira sit comes fortitudinis, ut Aristoteles sentit? seu: an ad fortitudinem necessaria sit Ira?

VIR o forti opus est calore quo vires ejus excitentur, non ira: judicio Scaligeri, quod quibus subvertam, non video. Ac sine ulla iracundia non solum potest, verum etiam debet esse vir fortis. In ira quidem spiritus

ritus

ritus accalor diffunduntur, & iracundiæ fomenta sunt à calore, & eatenus accidere hæc forti potest. Non tamen habitus iracundiæ à calore fit in anima naturalis. Quod primum, inquit Scaliger, palàm est ex multis viris sine ulla philosophia verè fortibus, quos ego novi minimè omnium iracundos. Deinde ex speciebus aliquot. Equus in præliis luculentæ fortitudinis præbet speciem sine ulla ira. Et frigida quædam sunt maximè iracunda, veluti canis. Plus est caloris in lepore (quia plus sanguinis & spirituum) quàm in crabrone: Huic tamen promptior majorq; ira. Idem lepus est calidior ariete, & minimè tamen irascitur. Separatur igitur ira à fortitudine (non necessariò ei cohæret) tum in homine, tum in cæteris animantibus. Et iracundia est verius à siccitate, quàm à calore. Verùm quod de cane dictum est, frigidum eum esse, Physici vix concesserint. His ex Scaligero respondeo, quia ejus verbis supra omnium fidem & capior & oblector: Qui cani attribuit calidum temperamentum, vehementer errat. Nullum animal celerius friget aut tremit. Nullum libentius apricatur. Ubi Solis æstum perferre nequiverit, atque paulisper captarit umbram, continuò redit ad radios. Id quod vel ipso in solstitio facere videmus. Nam quod facile inflammatur canis, id evenit ei propter siccitatem.

tem. Idcirco citò senescit, citòque deponit a-
 lacritatem, fitque melancholicus, ac rabie i-
 stus capax. Hactenus Scaliger. Mihi tamen vi-
 detur, Fortitudini propulsanti (quæ mala ea
 quæ honestè declinari nequeunt, sustinet &
 abigit) iram aliquam esse concedendam, &
 dicendum: huic fortitudini inservire tum i-
 ram, tum robur, quod est in corporis firmitu-
 dine, & quadam velut indolentia. A fortitu-
 dine autem declinante (quæ mala non sube-
 ynda quantum licet decetque, vitat) & pa-
 tiente, quæ dicitur Tolerantia, seu patientia,
 iram prorsus abesse debere, sicut & à Gravi-
 tate, quæ est fortitudo in rebus secundis, mo-
 derans animum, ne homo minus vel plus ef-
 feratur: Græcis dicta βαρύτης.

Propria opi-
 nio, qua
 distinguit.

PROBLEMA CXII.

An necesse sit à vitio uno per virtutem procedere ad
 vitium alterum?

AXIOMA philosophicum est: Non
 transiri ab extremo in extremum, nisi
 per medium. Virtus autem est mediocri-
 tas seu medium inter duo extrema. Quæritur
 igitur: An non necesse sit ab extremo per vir-
 tutem procedi ad extremum? Resp. Non ne-
 cesse est à vitio, ut à prodigalitate, per virtu-
 tem, ut libetalitatem, progressionem facere
 seu transire ad vitium, ut avaritiam. Virtus
 enim

enim medium est, non per veram participationem extremorum, sed per recessum ab utroque extremo. Id est: Virtus media est inter duo extrema vitia: Etsi necesse sit transire à vitio per virtutem ad vitium quadam quasi materiali participatione vel imitatione virtutis. Nemo enim ex avaro fit prodigus, nisi prius cœperit dare, quod liberalitatis est, sicut liberalitas sapit aliquo modo naturam extremorum. Nam quâ inclinât ad dandum, quodammodo convenit cum prodigalitate: quâ verò inclinât aliquando (ne fons exhauriatur) ad retinendum, accedere videtur ad tenacitatem. Quod autê attinet ad allatû axioma philosophicum, physicum id potius est, quàm morale. In motu enim naturali eo qui fit tractu temporis non transitur ab extremo (Marpurgo) ad extremum (Cassellas) nisi per medium Raufchenbergam, Fridslariam, &c. Axioma igitur istud non debet transferri ad Ethicam imperita translatione principiorum propriorum fit, ut scientiæ se mutuo evertat, quod docet Aristoteles prior. lib. posterior. Analyt. cap. 7. totidem verbis. Et tamen suo modo, quem diximus, Ethicæ etiam convenire potest axioma istud. Nec verò moveat te quòd ipse Aristoteles virtutem quoque extremitatem vocat: vitia enim sunt extrema mala: virtus verò est extremitas bona. Nec

virtus

virtus secundum essentiam est extremitas, sed κατ' ἰσότητα est mediocritas (μεσότης) κατὰ τὸ ὀ, seu κατὰ τὸ ἀείρον, id est, secundum id quod optimum est, est extremitas (ἀκρότης.)

TABELLA.

Medium quod inter extrema opposita interjectum est, est medium

Per negationem extremorum. Tale medium est inter docens & discens, nec docens nec discens: Inter videns & cæcum, nec videns nec cæcum: cuiusmodi est lapis.

Per participationem extremorum. Inter caliditatem & frigiditatem, tepiditas. Inter diem & noctem, crepusculum. De hoc Scaliger intelligatur, dum ait exercit. 317. Utrumque quod est, neutrum est: id est, Utrumque quod est per mixturem, neutrum est solide seu sincere.

Per recessum ab utroq; extremo. Inter duo vitia, virtus.

Ἄλλως.

Medium inter ἄντικειμενα extrema	Positivum: quod est forma positiva	Negativum: per abnegatione extremorum:	Propria: Dici potest formale medium. Impropria: Dici potest analogicum & virtuale.	
		Per participatione extremorum:		Per recessum ab utroq; extremo.

Ii Nec

Nec medium per negationem extremorum, nec medium per recessum ab utroque extremo constat ex extremis.

Medium per verā propriamq; participationē verè cōstat ex extremis tanquam partibus.

Ac dicitur formale, quia formaliter continet extrema refracta. Dicitur etiam potest Medium per formalem mixtionem cōtrariorum in gradibus remissis. Tale est tepidum inter calidum & frigidum.

Medium per impropiam participationem quadantenus constat ex extremis, id est, similitudo ac convenientia quædam est mediū huius cum ipsius extremis, non autem extremū ipsum est in medio: seu medium hoc non habet in se extrema tanquam sui partes. Dicitur igitur virtuale, quia virtualiter continet seu participat extrema. Dicitur etiam potest medium per virtualem continentiam seu participationem extremorum.

PROBLEMA CXIII.

Peccetne incontinens sciens an nesciens?

Confirmatio sententia, quod peccet nesciens.

NEMO qui de rebus habet rectum iudicium, aliud quicquam agere potest, quam quod bonum est: seu, nemo recto prædictus iudicio ab officii religione potest abducitur. At incontinens secus agit: Ergo in incontinente non

te non est rectum de rebus iudicium, & per consequens, quod peccat, id fit ex inscitia.

Confirmatio contraria: quod sciens peccet.

Quicumque quod bonum est & rectum novit, animi autem perturbatione rapitur aliud, ille sciens peccat: At incontinens quod bonum & rectum est, novit, animi autem perturbationibus ab officio, id quod experientia & multorum exempla testatur: Video meliora, proboque; Deteriora sequor, ait Medea queribunda apud Ovid. id est, aliud ratio suadet, aliud appetitus, ratione autem incontinens deserit, appetitum sequitur. Ergo *ἀσπῆς* sciens peccat.

Distinctiones, quibus vera ἀσπῆς continetur,

& controversia contrariis argumentis implicata disceptatur.

I. Scientia vox interdum sumitur pro solo otiosoque habitu, ut si scias, quid sit rectum, neque tamen secundum hanc notitiam instituas actiones: interdum pro *εὐρησία* habitus, ut cum quae agenda sunt, consideramus, & secundum notitiam huius praescriptum agimus.

Si primum significatum scientiae intuearis, fieri potest, ut illa praesente nihilominus aliquis peccet: fieri enim potest, ut habitu seu actione praeditus energia, secundum illum habitum multum exerceatur, imo contrarium potius faciat: Sin secundum, fieri non potest, ut illa praesente ab officio quispiam abducatur.

II 2

II. Pro-

II. Propositiones practicę aut sunt universales, aut particulares: Universales in Syllogismis practicis locum tenent propositionis majoris, ut nemini, quod suum est, eripiendum: Particulares, minoris, ut: Hoc autem est alienum, non meum. Conclusio. Ergo alteri non est eripiendum. Si utraq; concurrat, seu menti præsens sit, sequitur actio: At si particularis desit vel per incogitantiam, vel per ignorantiam, vel subjectionem contrarii, veluti si cogites: At hoc non est: a alterius cujusdam actio non sequitur, vel potius contraria actio sequitur, quàm ea quæ postulatür a majore propositione. Quare qui universalem novit, agendo tamen peccare potest, si particularem vel ignoret, vel de ea non cogitet. Qui autem utramque sciverit & consideraverit, in errorem incidere non potest.

III. Propositio practica universalis vel in seipso spectari potest, id est, generaliter, ut fontis venenati aqua non est haurienda: Frigidi morbi calefacientibus sunt curandi: vel quatenus subjectum est dividuum in singularia sua, ut hic fons est venenatus, hic morbus est frigidus.

Ad actionem recte producendam utraq; consideratio requiritur: Nam si nesciam hunc morbum esse frigidum, fieri potest, ut in medicatione aberrem.

IV. Habi-

IV. Habitus in aliquo vel liber est, & ad usum expeditus, vel quasi ligatus, & impedimentis quibusdam devinctus, ut etsi velis, tamen ex illo agere non possis, ut ebrius, etiamsi sit doctus, tamen vino impeditus erudite disputare nequit. Opifex dormiens habitu quidem artis, præditus est, sed impeditur somno, quod minus ex arte sua agat. Sic perturbationibus animi fit sapè, ut virtutum habitu præditi à recta ratione avocentur. Qui igitur habitu præditus est impedito, & veluti vinculo, peccare potest.

His distinctionibus & fundamentis posituris facile intelligitur, quomodo sciens & nesciens peccet incontinens. Scit ille quidem majorem propositionem, & rectam rationem habet, sed actum ipso de illa non cogitat, neque ἐπέχειν secundum illam notitiam instituit, neque particularem propositionem majori adjungit, sed eam prætermittit, & contrariam subjicit: novit universalem in seipsa, sed subjectum universale nõ distribuit in sua singularia: affectibus deniq; transversus abripitur ac impeditur, quod minus ἐξίη ad usum possit transferre.

Itaq; ad primi syllogismi Majorem respondetur: Nemo recto judicio præditus, scilicet si habitus illius energiam proferat, si non impediatur affectibus, si particularem propositionem

li ; tionem

tionem universali jungat, si subjectum universale in singularia sua tribuat, ab officii religione potest abduci.

Secundi syllogismi conclusionem concedo distinguendo: Incontinens peccat sciens habitu, sed non actu.

Conclusio vera quaestionis seu problematis.

Continens igitur peccat & sciens & nesciens.

D E M O N S T R A T I O .

Quicumque habitu scientiae recte agendi & universalis propositionis practicae notitia praeditus est, propter perturbationem autem animi habitum in actum non traducit, & universali propositioni particularem non adjungit, itemque universalis sententiae subjectum tantum in seipso, non in singularia distributum perpendit, ille sciens & nesciens peccat, habitu quidem sciens, actu vero nesciens. At omnis incontinens habitu scientiae recte agendi & universalis propositionis practicae notitia praeditus est: actu autem de illa non cogitat, sed impeditus animi perturbationibus habitum illius notitiae non traducit in actum, neque particulari universalem adjungens, subjectum universalis notitiae in singularia distributum considerat: Ergo omnis incontinens peccat & sciens & nesciens. Habitu quidem

dem sciens, actu autem ipso & ratione temporis nescius.

Sed utrum oppositorum potius de subiecto enunciandum? Potius dicendum, incontinentem peccare scientem quam inscientem.

CONCLUSIO CXIV.

*Fides data hosti servanda est. ex dicitur
deus & distinctio hostium.*

ALIJ sunt maximè propriè hostes, qui externi sunt, pariq; atq; nos jure ac libertate utuntur, contra quos publico consilio bellum geritur: Alii sunt hostes secundùm quid, seu modo quodam: nempe:

Defectores, qui cum nostri essent, à nobis defecerunt.

Prædones, id est, piratæ & latrones.

Adversarii, inter quos civilis tantùm discordia & tumultus exerceri dicitur.

Proscripti, hoc est, hostes à Senatu judicati,

In die Acht gethan.

Servi fugitivi, cum arma ferunt.

Hypothesis, seu $\mu\epsilon\lambda\eta\mu\phi\iota\varsigma$.

Inter quos juris alicujus communio est, inter eos obligatio contrahitur. Inter cæteros non contrahitur. A contrario sensu.

De servis in
l. quod atti-
net 32. D. de
reg. jur. l.
servi 14. D.
de oblig. &
st. l. natu-
raliter 13. D.
de condic.

ii

Confr. indeb.

Confirmatio à causa procreantē ad effectum.

Cum quibus intercedit Juris gentiū communio, cum iisdē est conventionum, proindeq; obligationum communio. Cum hostibus est Juris gentium communio, Ergo cum hostibus est conventionum, ac proinde obligationum communio. Itaq; (à genere ad speciem) fidem hosti datam servari oportet.

Assumptionis ap; robatio per inductionem.

Juris gentium esse communionem cum externis hostibus, prob. l. ult. D. de legat. & ex eo, quod violandis hostium legatis jus gentium violari dicitur, ibidem.

Cum defectoribus: ex eo, quod cum in hostium numero sint, eodem quoq; illi jure habendi videantur.

Cum pradoribus: ex eo, quod si res à latrone & fure apud alium, quam Dominum ignorantem deposita sit, jure gentium obligatio contrahatur, l. bona fides 31. D. de deposit.

Cum adversariis: hinc, quod multo meliore conditione quam hostes esse dicuntur, l. si quis ingenuam, D. de cap.

Cum proscrip̄tis: l. sunt quidam, 17. D. de pœn. & l. bona fides, 31. D. de deposit. ubi Triphonius statuit, ut qui reus capitalis judicii deposuit, si deportetur, propter jus naturale & gentium ei reddantur.

Cum fugitivis: l. quod attinet, D. de reg. jur. exem.

Exemplumq; compositionis cum latronibus & fugitivis est apud Cæsarem 3. bel. civil. Quilibet igitur hostes habent juris gentium communionem.

ΟΒΙΕΣΤ. I.

Cic. tamen negat 3. Offic. cum, qui prædonibus pactum pro capite pretium, etsi vel jusjurandum intervenerit, non attulit, teneri. Nec enim cum illis fidem aut jusjurandum esse commune.

Sed huic opponimus quod apud Cæs. Belli Solut. civil. 3. scribitur, actum à Romanis Ducibus in Pyrenæis montibus cum prædonibus & fugitivis de compositione, legatosq; ad eos missos esse.

ΟΒΙΕΣΤ. II.

Dolus concessus est contra hostem. Ergo & perfidia.

Respon. i. Non sequitur. Aliud enim dolus Solut. est, aliud perfidia. Et dolo uti licet contra hostem, cum fides nondum est data; post fidem datam lædere eam non licet, & locus dolo & fraudi seu fallaciæ non est relictus. Distinguenda igitur sunt tempora.

ΟΒΙΕΣΤ. III.

Opponitur l. l. D. Quod vi aut metus causa gestum est, ratum non habebitur.

Heterogeneum hoc est prætoris edictum. Solut.

ii 5

Pertinet

Pertinet enim ad pactiones cum civibus, non cum hostibus factas.

O B I E C T. I V.

Rex Jehu (2. Reg. 10.) cui Deus imperarat, ut Baaliticos sacerdotes omnes de medio tolleret, illos in Baalis fanum sacrificandi causa evocatos interfecit.

Solut.

Exemplum hoc seu factum est *ἐπισημοῦ* & alienum: pertinet enim ad dolum bonū, non ad perfidiam, cum nullam Jehu fidem illis publicam dederit, tamen ad illos evocandos, & in unum locum cogendos dolo bono usus sit.

O B I E C T. V.

Nulla cum tyranno fides, nulla sancta societas, (Scal. pag. 742. in exerc.)

Solut.

Sententia hæc nihil officit nobis: Vult enim nullam esse nobis constantem societatem seu vitæ agitationē cum iis, quos metuimus; non dicit, nos debere fidem frangere. Interim verò hoc inconcussum immotumq; manet, pactionem cum hostibus factam rescindi posse à superiore, cujus injussu facta est.

C X V.

Jus defensionis sui defenditur.

Responsio.

PERVULGATUS in nonnullorum Anabaptistarum asseculis error animis eripendus est, qui fingit, defensionem privatorum hominum à Christiano esse alienam, omnisq;

omnisq; opinio ad hanc normam traducenda est, ut statuamus, privatam sui defensionem esse licitam, dummodò iusto modo fiat.

Constat enim inter rectè eruditos voce Evangelii non deleri seu aboleri legem naturæ, quæ est ἀλήθεια καὶ δικαίωμα τῷ θεῷ ad hanc civilem vitam pertinens. Neq; enim Christus secū ipse pugnat. Jam verò notitia approbās defensionē nostrī adversus injuriā notoriam nobis insita, & in animum quasi insculpta est.

Est, inquit Orator, hæc non scripta, sed nata lex, quā nō didicimus, accepimus, legimus, verūm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, nō instituti, sed imbuti sumus, ut, si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela, aut latronū aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis.

Audin' defensionem necessariam legi naturæ esse consentaneam? Quare hoc maneat, i. causa, quæ mutari non potest, defensionem sui esse cōcessam & justā. Deinde: Lex scripta bona est, si ea legitimè utatur. Omnium verò gentiū leges dant potestatem sui defendēdi. Jus igitur defensionis in dubium vocandū nō est.

Præterea: Divinitus approbatur ea ratio, qua nos nostramq; vitam adversus subitam & atrocem vim tuemur ac defendimus. Quis ignorat à Joanne Apostolo præcipi, ut pro salute

Confirmatio à testimonio Legis naturalis.
Propositio Assumptio.

Amplificatio assumptio à testimonio Ciceronis.

2. A testimonio legis scriptæ.

3. A testimonio divini.

lute

lute fratris nemo dubitet suam vitam in discrimen adducere. Licet igitur proximum defendere. Si proximum: Ergo & nos ipsos: ut qui debeamus esse *φίλοι*.

Confutatio.

Probè stabilita fixaq; nostra sententia, videamus quæ contra nos afferant adversarii: Urgent primùm imperitè vocem Christi, & in ea odiosè perstant: Si quis te percussit in maxillam unam, porrige ei & alteram. Verùm Christi conciones non ex singulis verbis æstimandæ, sed ex perpetua serie & contextu disputationum, & sæpe *εἰπάτω*, non *ἀπλῶς* accipiendæ sunt. Christus in cap. 5. tradit sententias, quæ propriè ad vitam spiritualem pertinent, nec quicquam decerpit de legum & ordinis politici autoritate, & quia Ecclesia plerunq; tristi servitute oppressa jacet, ac à malis hominibus vexatur, Christus præcipit de tolerantia *καὶ ἀμνηστία κακῶν*, & consolatur Ecclesiam, ut statuatur, se non esse abjectam aut desertam à Deo propter calamitates.

Deinde accipiunt pro se istud: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Sed si hoc non accipiatur *ὁπλισθῶν*, ne quidem magistratui licebit in facinorosos animadvertere. At hoc dici non potest. Intelligendum igitur, qui gladium acceperit, non datum seu porrectum à legibus, gladio peribit. Cui autem necessitas defensionem sui exprimit, ei lex porrigit

Epilogus.
Defensio
sui privata
est licita,
modò ne
injustè fiat,
gladium.

Con-

Conclusio repetitio sit propositionis exceptione limitata seu restricta. Pudeat igitur adversarios amentia (non enim omnis error stultitia appellanda est) quod negant injuriam propulandam, seu vim vi repellendam, etsi moderatio inculpatæ tutelæ adhibeatur.

CXVI.

An omnes calumnia sint refutanda?

Distinguitur.

CALUMNIA est, vel innocentem falso criminari, vel benè aut mediocriter dicta in malam partem interpretari, aut falsum etiam iis aspergere & attingere. Quæ cum candore pugnant. Ad quæstionem autem per distinctionem respondeo: Calumniæ sunt vel notoriæ, vel populares & plausibiles, quæ à Græcis vocantur *πειθαυολογία*. Notorias seu manifestas, quas ipsa experientia convincit vanitatis & impudentiæ, refutare inanis labor est atq; irridendus. Sic Christus nihil respondit ad convitium Samaritani, Joan. 8. At verò illas, quæ sua specie hominum animos acerrimè commovent, & quadam voluptate impellunt (audire enim calumnias dulcè admodum est) quæque nostram professionem deformant, ea refutemus, & quidem modeste, ne cum adversariis petulantiæ lingue certare videamur. Præclare enim quidam dixit

xit veterum: Duo sunt tibi necessaria, Conscientia & Fama. Conscientia propter te: Fama propter proximum. Qui conscientie suae confidens, famam negligit, crudelis est.

*Qui famam neglectui habet, crudelis habetur,
Tantum sua confisus conscientia.*

CXVII.

An sit semper conjunctum cum iniustitia: exigere de aliquo pœnam alieni criminis?

Negatur.

TANTA nonnunquam sceleris admissi est gravitas, enormitas & execratio, ut nõ sit absurdum & iniquum exigi ejus pœnam ab eo, in quod scelus istud non cadit. Si quis cum jumento (quod ratione destitutum est) coëat, non solum qui hoc facinus detestandum perpetravit, sed ipsum quoque jumentum igni traditur: Levit. 20. Joluæ 7. non solum Achan punitur, sed & liberi & boves ejus igni subjiciuntur. Genes. 3. Deus serpenti, quo ut instrumento abusus est Satan ad hominem in peccatum demergendum & perdendum, pœnam infligit execrationis. Sic pater gladium, quo filius occisus est, execrationi habetur. Sicut enim rectè amatur & in honore habetur felicitatis alicujus organa, cui cuimodo illa sint: ita rectè exitii instrumenta, quæcunque illa sint, unà cum authore, id est, principe agente

agente diris deoventur, condemnantur & puniuntur.

PROBLEMA CXVIII.

Sintne actiones illa, quas per se nunquam suscipi- Thesia.
remus, propter maius tamen incommodum effugi-
endum, vel insigne commodum adipiscendum, iam
suscipimus, voluntaria an invita?

Verbi gratia. Jactura mercium, quam urgente te- Hypothe-
pestate mercatores faciunt, ut navibus oneratis naufra- sus.
gii periculū à se depellant, sine voluntaria an invita?

CONCLUSIO I.

Tales actiones sunt invita. Mercator non abjicit præcipites in mare merces sua voluntate.

PRINCIPIA SEU AXIOMATA.

Actio quæ ab externo principio nascitur, est violē-
ta: Seu: quod suscipitur à vi coacta, est violentum. A-
ctio quæ per se nunquam susciperetur, est violenta.

DEMONSTRATIO.

1. Quicquid per se nunquam susciperetur, est violentum:

Actiones istæ, quas propter majus incommodum effugiendum suscipimus, per se nunquam susciperentur:

Ergo actiones istæ sunt in violentis actionibus habendæ.

2. Cujus actionis primum principium est externum, illa est violenta.

Actionum

Actionum ejusmodi, quæ majoris mali metu suscipiuntur, primum principium externum est: Nam malum illud, quod impendet, primam impellendi ad agendum vim habet, cum fuga illius (mali) finis sit agenti propositus: finis autem sit primaria actionis causa impellens & determinans agentem.

Ejusmodi igitur actiones sunt violentæ.

3. Quod à vi coacto fit, est violentum.

Tales actiones de quibus hic agitur, à vi coacto fiunt.

Sunt igitur violentæ.

CONCLUSIO II.

Tales actiones sunt voluntariæ, non in vitæ.

PRINCIPIA.

Actiones morum æstimanda sunt temporis & loci circumstantiis. Violenti principium non est agens internum. Quæ prodeunt à principio interno, non dicuntur fieri in vitæ. Actiones morum vel laudantur, vel vituperantur, vel veniam seu indulgentiam impetrant.

DEMONSTRATIO.

I. Quæcunque actiones sunt voluntariæ illo tempore quo suscipiuntur, et simpliciter sunt voluntariæ. Actiones enim cum singulares sunt, locoq; & tempore definitæ, tales æstimandæ sunt, quales sunt eo tempore & loco, quibus suscipiuntur.

At ejus

At ejusmodi actiones eodem tempore quo suscipiuntur, sponte fiunt. Finis enim cujus gratia suscipiuntur ac fiunt, efficit illas voluntarias.

Ergo ejusmodi actiones simpliciter sunt voluntariae.

2. Actio violenta non habet principium externum: seu: actionum violentarum principia non sunt in ipsis agentibus.

Sed hujusmodi actionum principia sunt in ipsis agentibus. Mercator enim vim movendi membra sua in seipso habet, & liber est ad utrumque oppositorum, id est, si velit, merces abjicere vel retinere potest.

Ergo tales actiones non sunt violentae.

3. Nullae invitae actiones seu violentae laudantur vel vituperantur. At ejusmodi actiones interdum laudantur, interdum vituperantur: ac paucae sunt, quibus damus veniam, ut jactura, quam salutis suae tuendae causa mercator facit, laudatur. Si vero malit vitam amittere, vel salutem suam in discrimen adducere, non immerito vecors habetur. Ergo.

CONCLUSIO III.

Tales actiones sunt mediae seu mixtae, ita ut simpliciter quidem sint invitae, sed ratione circumstantiarum, id est, quoad loco & tempore circumscribuntur, sint potius voluntariae. Voluntas enim agentis non est hic integeris viribus, remissa est ac refracta, non plena:

Kk

arbi,

arbitrium non est purum seu sincerum, sed quadantenus vincitum: præeligit tamen quod videtur minus malum.

Hanc sententiam inter priores illas extremas mediam pro vera habeo.

Solutio ἀντιπρῆβω.

Propositio. Respondeo igitur ad primæ sententiæ syllogismi primi majorem. Quod nunquam per se susciperetur, illud est violentum, per se & in se spectatum. Quoad autem id, quod per se nunquam suscipitur, tamen propter vel insignem bonum consequendum, vel majus malum evitandum suscipitur, eatenus magis accedit ad voluntariam actionem, quam ad invitam.

Assumptio. Actiones, quas mixtas dicimus, respectu loci & temporis, propter insignem commodum adipiscendum, vel malum fugiendum

Conclusio. suscipiuntur. Itaque potius sunt voluntariæ quam invitæ.

Secunda resp. ad Majorem secundæ syllogismi.

Cujuscunq; actionis principium primum, id est, cum effectu proximè conjunctum (Græcè *συνεχὲς αἴτιον*) est externum, illud est violentum. Sed cujus primum, id est, remotum principium, & quod ratione temporis & generationis, non autem ratione naturæ primum est, ea actio non est violenta.

Finis mercatorem impellens ratione temporis & generationis est primum, hoc est, remotum

motum jacturæ mercium principium. Etenim ad principium illud non necesse est sequi actionem: potest enim, si velit, mercator mercem secum retinere potius, quàm abjicere. Sed si voluntas mercatoris fugam incommodi & conservationem salutis, id est, finem apprehendit, eiq; assentiens membra organica impellat, mercibusq; abjiciendis admoveat, habetur primum, id est, cum effectu proximè conjunctum, quo posito effectum poni necesse est. Hoc igitur principium primum *τῆ φύσεως* cum insit, in ipso agente pariet actionem magis voluntariam quàm invitam.

Tertia responsio ad tertii syllogismi propositionem majorem, per distinctionem.

Dicitur aliquis vi cogi vel *ἀπὸ τῆς*, vel *κατὰ τὴν*. Vi cogitur simpliciter & absolute, cum principium actionis ita est externum, ut nihil conferat ad actionem is, qui agit vel patitur: ut si ventus vehemens navim in fluctibus jactet, & in hanc aliãve regionem deferat. De hoc genere actionis Major: Quicquid à vi coactè suscipitur, est violentum, vera est. Sed Minor non simpliciter vera: nam mercator confert aliquid ad ejusmodi actionem. Si enim voluntate fini apprehenso non assentiatur, si nõ moveat membra ad actionem producendam, nunquam sequetur ejusmodi actio. *Secundum quid* autem cogi dicitur, qui aliquid confert

Kk 2 ad actio-

ad actionem, & qui suscipit actionem propter fugam seu evasionem majoris mali, vel adaptionem insignis commodi, quam alias nunquam susciperet. Hoc modo major intellecta falsa est.

Eodem modo partis alterius principia suis limitationibus seu restrictionibus sunt devincienda.

 QUÆSTIO CXIX.

An omne peccatum sit actio?

Affirmatur.

SENECA accepit hoc axioma à Stoicis, quod defendo cum Scaligero: Omne peccatum est actio: addoq; in primis verum esse in *judicio civili* seu politico. At enim inquis: Annon interdum non factum est peccatum? annon interdum non factum pro malefacto accipitur? annon sunt peccata quædam commissionis seu facti, quædam omissionis seu non facti? annon deniq; Theologi disputant, an ommissio sit omnium peccatorum maximum? Ommissio autem seu cessatio est actionis privatio. Non igitur omne peccatum est actio. Hic et si ad veritatis cursum tenendum subtilitatis vela tibi pandenda videntur; ea tamen ego nunc contraham. Non igitur nego esse vitia & commissionis & omissionis. At interim vitii omissionis omnem actionem non detra-

Object.

Solutio.

ho:

ho: Nam privatio operæ est actio animi. Ago enim hoc, ut nolim facere, ait Scaliger. Eiusdem est hoc: Ipsa quoq; cessatio quodammodo actio est. Quod sic quoq; rectè interpretari videor (ut sensus sit causalis:) Cessatio oritur ab actione quadam voluntatis internæ, quæ est cohibitio potentiarum & instrumentorum, quibus actiones externæ fiunt. Porro peccare non est simpliciter agere, sed malè & præter rectum agere. Itaque peccati essentia consistit potius in defectu, actio verò potius est materiale peccati. Unde peccatum actuale à Theologis nominatur. Consideratur igitur hic peccatum ut actio aberrans & παράλογος, quæ sequitur habitum vitiosum. Quod si peccatum pro vitio accipiatur virtuti opposito, qualitas erit, non actus seu actio.

 QUÆSTIO CXX.

An & ubi locum habere possit in Aristotelis

Ethicis Taciturnitas?

NON est hæc una ex ultrò citroq; iactatis disceptationibus. Mihi igitur leviter attingere eam visum est. De Taciturnitate certè in Ethicis, etsi in iis de illa Aristoteles nihil, est tradèdum, cum (quæ firma in animo est *μεγίστη*) virtus sit, utilis quidem illa in vitæ quotidianæ consuetudine. *Eximia* (inquit Poëta) est virtus prestare silentia rebus. Et con-

kk 3 na

trā gravis est culpa tacenda loqui. Existimo igitur
 ejus doctrinam esse subjungendam doctrinae
 Veracitatis, integritatis & candoris, ut *μεγέθη*
μεγέθη (etsi nonnulli, qui vocem Temperantiae
 laxius accipiunt, quam Aristoteles, Temperantiae
 Taciturnitatem subjiciunt, ut sit linguae temperantia):
 Videtur enim Taciturnitas modum definire veritati,
 cum sit virtus tacens arcana, & non necessaria dictu
 ubi, quando & quatenus non est opus in apertum
 proferre. Extrema ejus sunt: In defectu: Gar-
 rulitas, futilitas, proditio: non vitans sermo-
 nes immodicos, non necessarios, inutiles, in-
 tempestivos, perniciosos, scandalosos: omnia
 etiam arcana effutens: indicans facta aut cō-
 silia honesta aut non digna indicatione, qui-
 bus tamen indicatis alii nocetur. In Excessu:
 Morositas (quod extremum etiam est comi-
 tatis seu affabilitatis) seu nimium silentium &
 reticentia, hoc est, *κρυψίς* seu occultatio &
 dissimulatio veritatis, ubi erat profitenda, id
 est, ubi gloria Dei & salus hominis require-
 bat, ut loqueremur.

E'ν *μεγέθη* etiam *μεγέθη* habeo duo Veraci-
 tatis adjuncta seu *μεγέθη*: *Παρρησία* &
 Constantiam. Parrhesia veritatem liberè, ma-
 scule & intrepidè, cum necessarium est, profi-
 tetur, aded, ut ne quidem magnorum abster-
 geatur metu periculorum. Constantia verò
 est

est perseverantia in veritate, defendens ac conservans eam. (Levitas enim ea quæ est facilitas ad mentiendum, vitium est in defectu pugnans cum veritate ipsa.) Extrema ejus sunt: In defectu: Inconstantia seu Levitas ea, quæ præter rationem mutat, deserit ac abjicit verum. In excessu: Pertinacia seu rigor tenacissimus falsi, etiamsi de eo quis convictus sit: quò vitio, an quid sit pejus pestilentiusq; hominum generi, haud scio.

Linquendus error: affectanda veritas.

F I N I S .

